Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gottfried Voigt

De Presbytero, Legitimo Ordinationis Ministro, Ex Praescripto Iuris Divini Et Humani, Exercitatio Theologica

Rostochii: Rostochii: Wildius: Richelius, 1680

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ja - 1126(12)5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0001
DFG

DE PRESBYTERO,

LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO,

EX PRÆSCRIPTO JURIS DIVINI ET HUMANI,

EXERCITATIO THEOLOGICA,

Ex S. Scripturâ & Antiqvitate Ecclesiasticâ concinnata, in qvâ Disceptatione distinctè constitutâ, Orthodoxæ sententiæ fundamenta breviter & dilucidè exponuntur, & contraria dissolvuntur,

AUCTORE
GOTHOFREDO VOIGTIO,
S. Theol. L.

ROSTOCHII,
Sumptibus JOACHIMI WILDII,
Typis JACOBI RICHELII, Sen. Typog. Anno MDC.LXXX.

~~T. D. 277. 9.~~ 3.5
3a - 1126 (12)5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0005
DFG

RITTERSCHAFTL. BIBLIOTHEK D. HERZOGTH. MECKLENB.

LD 2220

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0006
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
GUSTAVO
ADOLPHO,
DUCI MECHLENBURGICO,
PRINCIPI VANDALORUM,
SVERINI ET RACEBURGI,
COMITI ITEM SVERINENSI,
TERRARUM ROSTOCHII ET
STARGARDIÆ DOMINO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

SACRUM!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0007
DFG

SERENISSIME DUX,
DOMINE CLEMENTISSIME,

TAndem aliqvando ad SEREN. V. ſupplex venit Presbyter noſter Ordinans & admitti ſe cupit demisſiſſimè: non auſurus, niſi tantâ vidiſſet clementiâ exceptum Presbyterum Epiſcopum. Si voti compos fuerit factus, habebit, qvod ſibi gratuletur. Neqve enim dubito, eum legitimam ſuam in ordinandis Eccleſiæ miniſtris poteſtatem ex juris divini & humani tabulis ita aſſerturum, ut nulla ſupereſſe poſſit dubitatio. Multis adhuc ſuſpecta viſa ejus poteſtas eſt: pluribus eam prorſus abjudicantibus illi. Utrosqve in poſterum æqviores ſibi fore ſperat, hâc perſpectâ defenſionis ſuæ ratione. Nec verò magis ſuis confidit præſidiis, qvàm Vræ. SEREN. gratiâ. hâc ſi florebit; non facilè cuiqvam ſapientum diſplicebit: non ſolùm qvod Prin-

cipi

cipi, verùm etiam qvod ſapientiſſimo Principi probatur: qvorum alterum cum multis, cum paucis alterum Vræ. SEREN. commune eſt. Unum opto, ut qvi interpres hujus Presbyteri fui, idem merear ejus eſſe comes, Veſtræ dum ſe inſinuat Clementiæ. Neqve enim minus defenſionis mea ſalus indiget, qvàm illius dignitas. Qvamqve illi utile, tam mihi neceſſarium intelligo, V. SERENITATIS valere gratiâ. Hæc enim ſola, rectæ mentis patrona, me nunqvam metuere ſinet, ne triumfus fiam invidiæ vel prædа alienæ calliditati. DEUS ſervet VESTRAM ſuæ proximam CELSITUDINEM, ſeramqve & ſerenam præſtet ſenectutem, florente CAROLO, florente provincia! Scrib. Gûſtrovi pridie Converſionis Pauli A. C. 1680.

V. SERENITATI.

ſubjectiſſimè devotus
GOTHOFREDUS VOIGTIUS,
S. Theol. L.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUod de legitimo Ordinationis ministro pridem commentari cœpi, nunc demum, L. B. tecum communico. Cauſſa ſcriptionis non una. præcipua hæc eſt. Peragrarunt adhuc qvidam à Pontifice, Hildeſiâ partim, partim aliunde venientes noſtras terras, & multis, etiam illuſtribus animis perſvadere conati ſunt, non eſſe legitimos, qvos haberemus, Eccleſiæ miniſtros. Qvæ attulerunt in hanc rem argumenta, non fuerunt aliâ, qvàm qvæ centum abhinc annis Bellarminus finxit, qvæqve per hos centum annos ab Orthodoxis vel ſexcenties labefactata atqve diſſoluta ſunt. Ita chordâ ſemper oberrant eâdem, idemqve identidem dicere malunt, qvàm nihil dicere, ne ex ſilentio ipſorum victoriam metiamur. Sed non puto multum profeciſſe; ſaltem ne proficerent, ſummo ſtudio elaboratum à Theologis noſtris eſt: qvorum conatus DE-

US

US Opt. Max. qvando ipsius agitur gloria, non siverit in nihilum recidisse. Rationes certè ejusmodi sunt, ut si præjudicata opinio absit, nullam in animis relinqvant dubitationem. Inter hæc & à me postulatum, ut Ecclesiæ nostræ sententiam breviter & perspicuè exponerem. Hærebam primò, meæ mihi paupertatis optimus testis. Sed cum postularent ii, qvorum ego neqve benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debebam, mos tandem iis gerendus fuit. Cœpi igitur, qvod jussus eram, DEI fretus auxilio, pro ingenii viribus exseqvi: idqve, ubi perfeci, iis, qvi jusserant, obtuli. Ex eo tempore alia qvoqve argumenta explicanda mihi fuerunt, in qvibus & controversia illa fuit de legitimo Presbyteri in consecrationibus sacerdotalibus ministerio. Eqvidem necesse non arbitror, hanc cum adversariis ingredi disputationem. Neqve enim illi unqvam planum facere poterunt, vel Ordinationem, ut vocant, omnibus Ecclesiæ ministris vi præcepti divini esse necessariam; vel Episcopos & Presbyteros jure divino esse diversos. Nec nostræ Ecclesiæ tales desunt Episcopi & Presbyteri, qvales ipsi volunt, saltem in orbe aqvilonari. Verùm cùm adversæ partis patroni arcem caussæ in hác constituerent controversiâ, alii qvoqve plus eam in recessu habere putarent, qvàm verè habet; visum tandem operæ pretium est, & hanc breviter perseqvi. Collatis igitur inter se Nostratium & Pontificiorum libellis partim editis, partim manuscriptis, primò diligenter qvæsitum, qvid conveniret, qvid non. Deinde omissis iis, qvæ ad illustrandam Ecclesiæ Orthodoxæ sententiam ex antiqvitate afferunt alii, ea præcipuè perse-

cutus

cutus sum, qvæ vim probandi haberent. Deniqve contraria qvoqve argumenta consideravi, & pleraqve à controversiæ constitutione aliena esse ostendi. Fontes ipsos ubiqve adii; rivulis ut parùm fiderem, aliorum exemplo sæpe admonitus, & sapientiorum præcepto. Qvo securiùs nunc exspectare licet, adversa pars qvid contra disputare ausura sit; si unqvam audebit. Pluribus, qvàm necesse fuit, verbis usus non sum; nec minus curæ fuit, ut dilucidè planèqve cuncta dicerem, memor, iis me scribere, qvibus nec otium esset legendi supervacua, nec patientia solvendi ænigmata. An assecutus sim, qvod intendi, aliorum judicio committo: sed rogo, ut ne qvid præjudicati ad legendum afferant. Si qvid relictum dubitationis est, eximere id qvoqve paratus sum, modò certior factus. Qvod superest, DEUM per JESUM veneror, ut gregem suum, & qvos ei præfecit, Pastores servet ac tueatur ab impetu luporum, & omni contagio serpentium morborum qvà vitæ qvà doctrinæ. Hæc mecum, qvisqvis es, L. B. precare, & Vale. Scrib. Gûstrovi, d. 24. Jan. A. C. 1680.

GOTHO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0012
DFG

GOTHOFREDI VOIGTII
DE
PRESBYTERO
LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO, EX PRÆSCRIPTO JURIS DIVINI ET HUMANI,
EXERCITATIO THEOLOGICA.

CAPUT I.
DE
MINISTRO ORDINATIONIS
AD REGULAM JURIS DIVINI.

§. I Orthodoxorum & Pontificiorum sententiæ. II & seqq. disceptatio constituitur. II. Episcopus Ordinationis minister, sed non solus. III. Vox Episcopi quomodo hic intelligatur. IV. Ordinatio solis Episcopis vendicata jure humano. V Quid in controversiâ relinqvatur ostenditur. VI & seqq Rationibus orthodoxa sententia firmatur. VI. Prima ratiò à silentio Scripturæ VII Altera, à naturâ ejus, quod licet VIII tertia à convenientia Episcoporum & Presbyterorum primorum IX quarta ex I. Timoth. IV, 14. X. Consensus Veteris Ecclesiæ. XI seq. Adversariorum argumenta diluuntur. XI. Respondetur ad testimonia Damasi & Gregorii III. XII. Ab Exemplo Mosis quæ petitur consequentia, solvitur. XIII Ex impositione manuum quæ in contrarium afferuntur, refelluntur. Impositio manuum etiam Presbyteris tribuitur in S Scripturâ. XIV. Ad ea, qvæ ex antiquitate afferuntur, generatim respondetur.

SECTIO I. προπαρασκευή.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ

Orthodoxorum & Heterodoxorum sententias afferens.

§. I.

AN *legitimus ordinationis minister jure divino sit solus Episcopus, quatenus à Presbytero distinguitur, non item ipse Presbyter?* res inter Nos & Pontificios controversa est. Hi ajunt, ut videre est ex Concil. Trident. sess. 23. c. VII. ubi anathema illis dicitur, qvi docent, *potestatem ordinandi, quam Episcopi habent, esse iis cum Presbyteris communem.* Et qvamvis hîc nulla juris divini mentio fiat, *Bellarminus* tamen lib. I. de Cler. cap. XIV. f. 336. ad jus divinum disertè istam controversiam refert, qvum asserit, *jure divino majorem esse Episcopum Presbytero, quod attinet ad ordinis potestatem; & ex jure divino esse, ut soli Episcopi ordinent*, §. Nos igitur. & §. Esse autem. idemqve cum *Bellarmino* hîc *Becanus* docet Theol. Scholast. Part. III. Tr. II. c. 26. qv. 2. f. 722. At Orthodoxi contra qvæstionem negant, qvorum sententiam nunc defendemus.

SECTIO II. παρασκευή.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ

Qvid in controversia sit, qvid non, aperiens.

II. Dum autem cum Orthodoxis qvæstionem negamus, non

non negamus Episcopum jure divino esse legitimum ordinationis ministrum, sive Episcopo jure divino licere ordinare alios; sed hoc tantùm negamus, Episcopum *solum* esse legitimum ministrum, sive *soli* Episcopo licere ordinare alios. & contra docemus, & Episcopo & Presbytero jure divino id licere.

III. Et qvia adversarii nostri ordinandi facultatem solis vendicant Episcopis & Presbyteris denegant, nos autem eandem utrisqve tribuimus; idcirco vox *Episcopi* eâ hîc notione intelligenda est, qva Ecclesiastici scriptores usi sunt, *distinctum* à Presbyteris ministrorum *ordinem* significaturi.

IV. Fatemur qvidem, ordinationem per multa secula in multis Ecclesiis, solis Episcopis, ut à Presbyteris distincti sunt, *jure humano* fuisse vendicatam certis de caussis, ita ut ordinarii ejusdem ministri constituti fuerint: largimur etiam, id potuisse fieri salvo jure divino. Sed neutrum jam in controversiam venit.

V. Hoc solùm qværitur, hoc disceptatur: *An ordinatio jure divino Episcopis solis ita vendicata sit, ut, qvi ab Episcopo ordinatus non est, non sit verus & legitimus Ecclesiæ minister & Pastor?* qvod nos prorsus negamus.

KATAΣKEYH
Rationes Orthodoxæ sententiæ exponens.

SECTIO III. κατασκ.

VI. Rationes sententiæ nostræ hæ sunt. I. *Quodcunq; Scriptura nuspiam soli Episcopo vendicat, illius minister* Ratio I.

Jure divino non est solus Episcopus. At ordinationem Scriptura nuspiam soli Episcopo vendicat. Ergo ordinationis minister jure divino non est solus Episcopus. Major patet, qvia solæ sacræ Literæ hodie sunt juris divini tabulæ. In his ergo qvicqvid non continetur, de eo nec qvisqvam mortalium certus esse potest, qvod jure divino necessarium sit. De Minore testor omnes, qvi S. Scripturam legerunt. Qvod si qvis unqvam tale qvid in Scripturâ vel legit, vel ex aliqvo loco intelligi posse vidit, afferat in medium, & causâ nos cecidisse fatebimur. Adhuc qvidem nihil tale vel vidimus vel audivimus.

VII. Succedit II. *alterum* argumentum, à natura e-
Ratio 2. jus, qvod licet, sumtum. Constat enim inter omnes, qvi jus naturæ & morum præcepta explicant, id per jus aliqvod licere, qvod illo jure prohibitum non est: adeoqve id per jus divinum licere, qvod jure divino non est prohibitum. Hinc ejusmodi nobis nascitur argumentum: *Quicquid jure divino non est prohibitum, id per jus divinum est licitum. At Presbyterum ordinationis fungi ministerio, jure divino non est prohibitum. Ergo Presbyterum ordinationis fungi ministerio, per jus divinum est licitum: adeoqve* (hoc enim consequens est) *non solus Episcopus jure divino legitimus ordinationis minister est.* Major ante probata. Minor tantisper immota manet, dum allatum fuerit in contrarium jus illud divinum, qvod Presbyterum ab ordinationis ministerio arceat. Id autem nunqvam erit, silente hîc omnino S. Literarum codice.

Ratio 3. VIII. Addo III. *tertium* argumentum, qvod suppeditat ratio Episcoporum & Presbyterorum primorum, qvi erant iidem nec potestate diversi. Hinc argumentor: *Qvod-*

cunq;

cunq; jus Episcopum & Presbyterum non distinguit ullâ potestate, illud tam Episcopo quàm Presbytero potestatem ordinandi permittit, nec solum Episcopum legitimum ordinationis ministrum constituit. At jus divinum Episcopum & Presbyterum non distingvit ullâ potestate. Ergo jus divinum tam Episcopo qvam Presbytero potestatem ordinandi permittit, nec solum Episcopum legitimum ordinationis ministrum constituit." De majore nemo, cui sanitas est, facilè dubitabit. Nam si qvod jus potestatem ordinandi Presbytero non æqvè atq; Episcopo permitteret, id certè Episcopum & Presbyterum potestate aliqvâ distingveret. Qvod verò nullam in potestate diversitatem inter Episcopum & Presbyterum agnoscit, id nec ordinandi jus alteri tribuere, alteri negare potest. Minorem firmavimus invicto argumento, disp. de *Presbytero Episcopo*, qvam vide.

IX. Addo IV. *qvartum* ex 1. Tim. IV, 14. ubi Paulus Timotheo Presbyteros imposuisse manus asserit. *A quibuscunqve rite ordinatus est Timotheus in Apostolicâ Ecclesiâ, illi jure divino sunt legitimi ordinationis ministri. At à Presbyteris Timotheus rite ordinatus est in Apostolicâ Ecclesiâ. Ergo Presbyteri jure divino sunt legitimi Ordinationis ministri.* Ratio 4. Major probatur, qvia qvæ rectè facta in Ecclesiâ Apostolicâ sunt, ea juri divino non potuerunt esse contraria. nam si fuissent contraria, non fuissent rectè facta. Minor efficitur ex l. c. ubi Apostolus Timotheum monet, ne *negligat χάρισμα gratiam, qvæ data sit ei cum impositione manuum Presbyterii.* Presbyterii autem voce Collegium Presbyterorum intelligendum esse, evicimus disp. citatâ §. XVII. Qvæ in contrarium afferunt adversarii, discussa ibidem sunt. Ritè autem factam illam ordinationem esse, ex eo videre

licet, qvod per illam DEUS Timotheo contulerit singularia χαρίσματα sive *dona*, ut Apostolus eodem loco testatur.

X. Accedit *consensus Veterum*, ne cui fortè nova hæc sententia videri possit. Primo enim Presbyteri Alexandrini per 200 qvasi annos, indè à Marco Evangelista usqve ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Patriarcham Alexandrinum ordinarunt, teste *Hieronymo* ep. ad Evagr. T. II. f. 329. qvod certè non feciſſent, si persvasum sibi habuissent, Presbytero per jus divinum non licere ordinationis ministerio fungi. Deinde antiqva Ecclesia Scotica per aliqvot secula per Presbyteros suos ordinandos curavit Presbyteros & Episcopos. Nec vel hæc Presbyterorum ordinatio, vel qvi ab iis ordinati fuere Presbyteri & Episcopi, unqvam à Catholicâ Ecclesiâ rejecti fuere. vide *Buchananum* Rer. Schot. lib. V. p. 141. *Joh. Majorem* lib. II. de gest. Scot. c. 2. *Hect. Boethium* Scot. Hist. lib. VI. f. 92. *Joh. Fordonum* Schotichron. lib. III. c. 8. *Bedam* Hist. Eccl. lib. III. c. 3, 5, 17, 21, 25, 26. adde *Blondell:* Apol. pro sent. Hieron. sect. III. p. 314. 366. seq. Præterea Concilium Nicænum I. Oecumen. Can. VIII. dum Catharorum Episcopos & Presbyteros, tanqvam verè ordinatos recepit, hoc ipso ordinationem à Presbytero factam ratam habuit. Nam Catharorum sive Novatianorum Episcopi & Presbyteri non aliunde, nisi à Presbytero, sive Novatus ille fuerit, sive Novatianus, originem trahunt. Qvod si jam Concilium Nicænum existimasset, Ordinationem jure divino solis Episcopis deberi, nunqvam certè eam probasset, qvæ auctores habuit solos Presbyteros. Sed de hoc deinceps pluribus. *Hieronymus* deniqve, cum Episcopos & Presbyteros initio eosdem esse docuit, epist. ad Tit. c. 1. Tom. IX. Op.

IX. Op. f. 245. & epist. ad Evagr. l. c. non obscurè significavit, Episcopis solis, ut à Presbyteris postea distincti fuere, jus divinum non tribuisse potestatem ordinandi alios. alioqvi parùm sibi convenienter locutus fuisset.

SECTIO IV. Avaσκ. Obj. I.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ
Adversariorum argumenta diluens.

XI. Jam considerabimus rationes, qvibus moti adversarii solum Episcopum jure divino legitimum ordinationis esse ministrum asserunt. Dicunt I. propterea solis Episcopis jure divino competere ordinandi jus, *quia Damasus* epist. 3. *& Gregor. III.* epist. ad Bonif. *ordinationem à Presbytero factam, pronunciarint esse irritam.* ita *Bellarm.* lib. I. de Cler. c. XIV. §. Esse autem. f. 336. *Becan.* Theol. Scholast. l. c. Resp. Verùm 1. nulla consequentia: Qvicqvid Damasus & Gregorius III. irritum esse pronunciant, si fiat à Presbytero non ab Episcopo, illud jure divino Presbytero non competit, sed soli Episcopo. Neqve enim Damasus neqve Gregorius III. ii sunt testes, per qvos DEUS promulgavit jus suum. Si qvid valent eorum decreta, jus qvoddam ecclesiasticum efficiunt in eâ Ecclesiâ, cui præfuerunt, non verò divinum. 2. Atqve hoc ipsum etiam intelligere videtur Damasus, qvum in eâdem epistolâ potestatem ordinandi Chorepiscopis denegat tantùm ex præscripto sacrorum canonum, nulla juris divini factâ mentione. *Ut hi*, inqvit, (Chorepiscopi nempe) *de summo sacerdotii ministerio aliqvid præsumant, omni auctoritate caret, & SACRIS CANONIBUS invenitur esse contrarium.* & postea de iisdem: *Tam ab hac SANCTA SEDE, qvàm & ab omnibus totius orbis*

EPISCO-

EPISCOPIS à pontificalibus sunt remoti officiis. & rursus: *Quod eis non liceat sacerdotes consecrare, nec Diaconos aut Subdiaconos &c. quæ omnia solis Pontificibus deberi, tam ex superioribus, quàm ex aliis PATRUM CONSTITUTIS aut SACRIS CANONIBUS edocti estis, &c.* Qvum igitur ubiqve *ad sacros canones*, ad *Patrum constituta*, ad *Episcopos* provocet, nec ullam juris divini mentionem faciat, probabile omnino videtur, eum ordinationem, à Presbyteris & Chorepiscopis factam, habuisse irritam per leges tantùm humanas, non item divinas. 3. Taceo, qvod adhuc dubium sit, utrum epistola illa Damasi sit, an non potius alterius cujusdam. *Blondellus* certè in Pseudo Isidoro non vanis rationibus adductus eam à Damaso abjudicavit. Vide inprimis ejus Prolegomena & qvæ ad hanc epistolam speciatim affert p. 530. seqq. Refellant hæc primùm adversarii, & deinde testimonia inde sumta considerabimus diligentius.

Obj. II. XII. Dicunt II. *Solum Moysen, qui fuerit sacerdos & Pontifex, ordinasse Aaronem & filios in sacerdotes: ac proinde etiam ordinationem Episcoporum & aliorum ministrorum in N. T. pertinere ad solos Episcopos, idqve* jure divino *Becan.* l. c. f. 722. & 726.

Resp. Resp. 1. Verùm hîc à veritate prorsus alienum est, Moysen fuisse Sacerdotem & Pontificem. Contra qvæ disputantur ab adversariis, jam discussa in Antiqvitatibus meis Græcis lib. II, cap. I. 2. Deinde licet vel maximè Moyses fuerit Pontifex, licet etiam ut Pontifex Aaronem & filios ordinarit sacerdotes; nondum tamen id seqvitur, qvod seqvi putant adversarii. Neqve enim Episcoporum & Presbyterorum ordines diversi, perinde ut summi Pontificis & minorum sacerdotum apud Hebræos, à DEO sunt constituti; nec, ut soli Moysi Aaronis & filiorum, ita solis Episco-

Episcopis Presbyterorum ordinatio à Deo præscripta est; nec qvod exemplo Pontificum V. T. faciunt Episcopi, continuò jus divinum appellandum. Hoc enim ex *præceptis Dei* non *exemplis* effici, fatentur adversarii, *Bellarmin.* lib. I. de Cler. c. VII. T. I. part. II. §. Respondeo dupliciter f. 319. & *Becanus* l. c. f. 717. vide plura, qvæ huc pertinent, in Disp. *de Presbytero Episcopo* §. XXII.

XIII. Dicunt III. *Impositionem manuum, per qvam ordinentur ministri, tribui Apostolis & aliis Episcopis, non Presbyteris.* Obj. III. Resp. 1. Verùm hîc pro concesso sumunt, Episcoporum & Presbyterorum initio fuisse diversos ordines, qvod contra est. vid. disputationem citatam. 2. Deinde Presbyteris non tribui impositionem manuum, manifestus error est. *de impositione manuum Presbyterii* luculentissimum testimonium exstat 1. Tim. IV, 14. Et Antiochenos illos Prophetas & Doctores, qvi Paulo imposuerunt manus Act. XIII, 1. 3. (ubi ordinationem Pauli significari volunt adversarii) Episcopos omnes fuisse, ex S. Scripturâ nunqvam illi ostendent, nec per principia sua poterunt, qvando plures unius urbis Episcopos fuisse negant. 3. Sed esto. Episcopi & Presbyteri initio fuerunt diversi. Episcopis tribuitur impositio manuum. De Presbyteris ejusmodi qvid non reperitur scriptum, an vero hinc conficies, Presbyteris manuũ impositionem non convenire? minimè. Qvod uni tribuitur, non statim adimitur alteri; nec de qvo scriptura silet, id continuo eadem negat. 4. Deniqve qvæcunqve etiam impositionis manuum hîc afferantur exempla, illa tamen jus divinum non efficient. *Neqve enim exempla Scripturarum faciunt, rem esse de jure divino sed præcepta DEI sunt, qvæ hoc faciunt,* ut verba habent *Bellarmini* & *Becani* II, cc.

XIV. Qvæ præterea ex *Conciliis* & *Patribus* afferunt in contrarium, infra commodiùs expendi posse videntur. Nam *jus* tantùm *humanum* efficiunt. Qvanqvam ne hoc qvidem Ordinatio per Presbyteros facta, semper & ubiqve fuerit irrita. de qvo mox plura.

CAPUT II.

DE EFFICACI PRESBYTERI IN ORDINANDIS ALIIS MINISTERIO, EX PRÆSCRIPTO JURIS HUMANI.

I. *Partes dissidentium.* II. *& seqq. disceptatio constituitur.* II. *Episcopus legitimus ordinationis minister.* III. *Presbyteris licet simul cum Episcopis manus imponere ordinando.* IV. *Presbyter consentiente Episcopo ordinationis munus obire potest.* V. *Aliqvando Presbyteri prohibiti sunt ordinare sine consensu Episcopi.* VI. *Ordinatio per presbyteros quibusdam Ecclesiis, post multa à nato Christo secula, visa est irrita.* VIII. *adeoqve non semper & ubiqve rata fuit.* VIII. *De quo igitur dissensio sit, aperitur.* IX. *& seqq. orthodoxa sententia confirmatur argumento tripartito.* X *Pars sive positio argumenti prima. Ordinatio per Presbyterum in Veteri Ecclesia multorum seculorum usu fuit probata.* XI. *firmatur primò exemplo Ecclesiæ Ægyptiacæ per seculum I, II & III.* XII. *Deinde exemplo Scoticæ Ecclesiæ, per eadem & sequentia secula. Palladius primus Scotorum Episcopus. Scoti tamen ante Palladium fuerunt Christiani, & habuerunt Presbyteros per Presbyteros ordinatos.* XIII. *Etiam seculo sexto, septimo & octavo, Presbyteris Scotica Ecclesia ordinandi jus permisit.* XIV. *Pars argumenti*

gumenti altera. Ordinatio per Presbyteros à Concilio Nicæno l. rata habita. XV. Canon VIII. Concilii Nicæn. l. laudatur, & postea explicatur. XVI. Cathari iidem qui Novatiani. XVII. Novatianorum Episcopi. XVIII. Novatus creavit Episcopos. XIX. Novatus Presbyter fuit. Baronius refellitur. Græcorum quorundam scriptorum error, Novatum pro Novatiano dicentium. XX. Novatianus Presbyter. XXI. A Presbyteris, quibus non fecit ordinandi potestatem aliqvis Episcopus orti Novatianorum Episcopi XXII. Concilium Nicænum probasse illam ordinationem demonstratur. XXIII. Respondetur ad id, quod contra dici poterat. Manuum impositio duplex ex antiquitate ostenditur, benedictionis & ordinationis. cujusmodi hîc intelligatur, aperitur. XXIV. Tertia argumenti pars. XXV. Ordinatio Presbytero novellis legibus post aliquot à nato Christo secula ademta. XXVI. & seqq. solvuntur argumenta contraria Bellarmini. XXVI. Respondetur ad Can. Apost. 1. Nicæni primi qvartum, Carthaginensis qvinti secundum. Apostolorum Canones cujus sint auctoritatis, ostenditur. XXVII. Resp ad Concil. Ancyran can 13. XXVIII. ad Concil. Antioch. II. can: 9. & 10 XXIX. ad Concil. Sardicens. c. 6. XXX. ad Conc. Constantinop. I. can. 4. XXXI. ad Conc. Arelat. c. 19. XXXII. ad Conc. Carthag. V. c. 3. XXXIII ad Conc. Hispal. c. 5. XXXIV. ad Verba Damasi ep. 3. XXXV. ad testimonium Epiphanii XXXVI. ad ea, quæ ex Chrysostomo afferuntur. XXXVII item quæ ex Theophylacto. XXXVIII. quæque ex Theodorito. XXXIX Augustini verba in contrarium allata considerantur. XL. Hieronymi denique verba expenduntur. Conclusio.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ

Partes Dissidentium nominans.

SECTIO I. προπαρασκευη.

§. I.

DE Ordinationis ministro dissensio est inter Orthodoxos & Pontificios. Hi omnem ordinandi potestatem Episcopis vendicant Presbyterisqve negant expræscripto *Concilii Tridentini* sess. XXIII. can. VII. adeoqve ordinatio-

nationem sacerdotalem factam per Presbyteros tam divino qvàm humano jure irritam esse censent. Orthodoxi contra tam Presbyteros qvàm Episcopos legitimos ordinationis Ecclesiasticæ esse posse ministros contendunt, sive divinum, sive humanum jus spectetur. Ac de divino qvidem jure jam ante diximus. Nunc qvid *humano* Presbyteris olim hâc in re licuerit, videbimus.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ
Disceptationem constituens.

II. Hîc verò statim aperiendum, qvid nobis cum adversariis conveniat, qvidqve in controversiâ relinqvatur. Ac primò qvidem convenit, Episcopos legitimos ordinationis esse ministros, idqve vi canonum Ecclesiasticorum; sed eos *solos* esse tales aut semper & ubiqve in veteri Ecclesiâ fuisse, id nos adversariis negamus. Itaqve Presbyteros Episcopis adjungimus, & hos qvoqve ritè & efficaciter olim ordinasse alios, & adhuc posse, contendimus.

III. Deinde & hoc convenire puto, qvod Presbyteris etiam liceat simul cum Episcopo manus imponere Presbytero, qvi ab Episcopo ordinatur. Hoc enim non tantùm permittunt, sed etiam præcipiunt jura Pontificia Dist. 23. c. Presbyter 8. verbis Concilii Carthaginensis V. (aliis IV.) c. 3. qvæ ita habent: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qvi præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Tom. III. Concil. illustr. Period. II. Peric. IV. Diatr. 136. p. 381.

IV. Nec

IV. Nec de eo jam disceptatur, an Presbyter, consentiente & permittente vel jubente Episcopo, ordinationis munus obire qveat? Nam & hoc non difficiliter concedunt adversarii. *Binius* enim in libr. Pontif. in Pelagio I. scribit, *Jussu Pelagii Presbyterum Ostiensem loco Episcopi ordinationis munus obiisse*. Existimat ergo, Pontificis Romani jussu Presbyterum ordinare posse. Similiter *Becanus* Theol. Scholast. Part. III. Tr. II. c. 26. concl. 6. f. 721. docet. *Cardinales non Episcopos, & multos Abbates ex commissione vel privilegio conferre ordines minores suis subditis posse*. hinc in jure Canonico *Abbas si est Presbyter & benedictus, conferre potest ordinem clericalem* c. Cum contingat, De ætat. & Qval. An hodie Pontificiorum in ordinandis suis Presbyteris & Diaconis ratio sit alia, experientia loqvatur. Antiqvorum sanè moribus illicitum id non fuit habitum. Concilium Ancyranum seculo IV. Presbyteris ordinandi facultatem permisit ex consensu Episcopi can. XIII. χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μὴν μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως, χωρὶς τῆς ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μὲν γράμμασιν ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ. Ita hunc canonem jam ante mille annos legit seculo VI. *Joannes Antiochenus*, Patriarcha Constantinopol. in Collect. Canon. ap. *Justellum* Biblioth. Tom. II. f. 545. Ita eundem legit eodem seculo *Dionysius Exiguus*, Abbas Romanus in Codice Can. Eccles. ap. *Justell.* Bibl. Tom. I. f. 120. Sic enim Latinè reddidit: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi vel literis, in unaqvaqz parœcia*. Alia non ἐν ἑκάστῃ *in unaqvaqz* sed ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ *in alienâ parœciâ* legunt, ut significetur, in alienâ parœciâ iis non licere qvenqvam ordinare, sine consensu Episcopi illius parœciæ. Sive autem hæc, sive illa lectio

Presbyter consentiente Episcopo ordinat.

retineatur, ex utrâq; certè intelligi licet, Presbyteris & Chorepiscopis, cùm interdicta fuerit ordinatio non permittente Episcopo, hoc ipso relictam fuisse potestatem ordinandi permittente Episcopo. Hinc *Alexius Aristinus* Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante qvingentos & qvinqvaginta qvasi annos, in Synopsi Canonum, &, qvi posterior eo est, *Simeon Magister & Logothem* in epitome Canonum, summam illius Canonis his expressere verbis: Χωρεπίσκοπος ὁ χειροτονῶν ἄνευ ἐπιτροπῆς ἁμαρτάνει. *Chorepiscopus non ordinat sine licentiâ Episcopi*, ap. *Justell.* Tom. II. f. 680. & 712. Chorepiscopos autem & Presbyteros ejusdem esse ordinis, censet *Leo* ad Episc. Germ. & Gall. Tom. VII. Concil. edit. Paris. f. 197. & cum eo Jura Pontificia Dist. 68. c. Qvamvis 4. & c. Chorepiscopi 5. Ancyrani auctoritatem secutum est Concilium Antiochenum, eodem seculo, nempe qvarto à nato CHRISTO. Nam & hoc can. X. qvi relatus cum aliis est in Codicem canonum Ecclesiæ universæ, Chorepiscopis liberam Lectorum, Hypodiaconorum & Exorcistarum ordinationem permisit: Presbyterorum verò & Diaconorum adstrinxit ad consensum Episcopi, cui subsunt. Sic habent verba canonis: *Ii, qui sunt in vicis & regionibus, vel qui Chorepiscopi nominantur, etiamsi impositionem manuum Episcoporum acceperint, placuit S. Synodo, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent earumq; curâ & moderamine contenti sint: constituant autem Lectores & Subdiaconos & Exorcistas, & eorum promotioni sufficere existiment:* μήτε δὲ πρεσβύτερον μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾶν ἄνευ τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, *Presbyterum autem aut Diaconum ordinare non audeant sine Episcopo civitatis, cui ipse & regio subjicitur*, Cod. can. Eccl. Univers. ap. *Justell.* Tom. I. f. 45. Idem docuit seqventi seculo *Leo*

lo *Leo Magnus*. Is enim à Rustico Narbonensi consultus, de Presbytero vel Diacono, qvi se Episcopos mentiti sunt, in hunc modum rescripsit: *Nulla ratio fuit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Unde cùm sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui CLERICI ab istis PSEVDOEPISCOPIS in eis Ecclesiis ORDINATI sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ORDINATIO EORUM CUM CONSENSU & judicio PRÆSIDENTIUM facta est, potest RATA haberi; ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent.* Epistola Leonis exstat in *Justella* Tom. I. f. 228. & confirmata est in jure Pontificio Dist. 62. c. Nulla ratio. & l. qvæst. I. c. si qvi clerici.

V. Nec id in controversiâ versatur: an aliqvando & qvibusdam in Ecclesiis Presbyteri prohibiti fuerint ordinare, sine consensu Episcopi? Hoc enim Pontificiis facilè largimur. Novimus enim in Carthaginensi Ecclesiâ vitio datum Novato, qvod *nec sciente nec permittente Episcopo* suo Cypriano, *Felicissimum satellitem suum ordinarit Diaconum*, ipso teste *Cypriano* epist. 49. ad Cornel. Tom. I. f. 87. edit. Antverp. Pamelii A. 1568. Novimus, Concilium Arelatense, ante Nicænum seculo IV. celebratum. can. XIX. sanxisse, ut *Presbyteri sine conscientiâ Episcoporum nihil faciant*, Tom. I. Concil. Illustr. Period. II. Peric. IV. Diatr. XX. p. 1094. Novimus, Hieronymi ætate, in multis Ecclesiis, *Episcopum, exceptâ ordinatione nihil fecisse, quod Presbyter non fecerit*, ut verba habent *Hieronymi* epist. ad Evagr. T. II. Oper. f. 329. Nec cætera ejus generis ignoramus.

VI. Præterea nec de eo jam movebimus controversiam,

am, an ordinatio per Presbyterum consentiente vel non consentiente Episcopo facta, aliqvibus Ecclesiis aliqvando, multis jam à CHRISTO elapsis seculis, visa sit irrita? Qvod etsi non differre videtur ab eo, qvod superiori positione jam à qvæstione nostrâ removimus; tamen, si accuratius consideretur, non prorsus idem est. Non enim continuo, qvicqvid prohibitum est, si contra fiat, irritum habendum; licet eo jure, qvo prohibitum est, illicitum sit. Sic veteribus illicitus qvidem idq; meritò videbatur baptismus ab hæretico collatus; non tamen irritus, si ad normam Institutionis fuerat administratus. Hinc Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, Qvartodecimani, Apollinaristæ & alii, ad Orthodoxam fidem conversi, non sunt iterum baptizati, ut ex Concil. Constantinop. Oecumen. II. can. VI. videre est ap. *Justellum* Cod. Can. Eccl. Un. f. 58. & ab ipsis Pontificiis ordinationes, ab hæreticis factæ, illicitæ qvidem habentur, sed non omnes promiscuè irritæ, ut ex l. qvæst. 9. c. Ab excommunicatis, & c. Ordinationes, intelligi licet. Nec omnibus semper, qvibus improbata Presbyterorum per Presbyteros facta ordinatio, eadem perinde irrita, ut illicita visa est. Hoc enim ex antiqvitate ostendi neqvit. Aliqvando tamen tam irritam, qvàm illicitam ejusmodi ordinationem esse habitam, non negamus. Constat enim ex historiâ Ecclesiasticâ, Concilium Hispalense seculo VII. acta Joannis Egabrensis Episcopi, qvi Presbytero, cogente morbo, ordinationum potestatem delegaverat, rescidisse. Qvod ex Tom. II. Concil. narrant Magdeburgenses in Concilii istis Act. V. Centur. VII. c. IX. f. 142. & Gratianus Dist. 23. c. Ex epistolâ 13. Jurene an injuriâ, nunc non disputabimus. vide *Blondellum* Apol. pro sent. Hieron. sect. III. p. 172. seqq.

Illicitum non idem quod irritum.

VII. Cumq;

VII. Cumqve hoc adversariis largiamur, patet, nec id nunc venire in controversiam, an ordinatio Presbyterorum & Episcoporum, facta per Presbyterum, semper & ubiqve in Ecclesiâ habita fuerit rata? Hoc enim cum ipsis adversariis negamus, ac proinde nulla de eo inter nos dissensio est.

VIII. Dissensio autem est de eo: *An ordinatio Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, facta per Presbyterum, cui Episcopus ab alio Episcopo ordinatus ordinandi potestatem non dederit, Jure humano semper & ubiqve fuerit irrita?* Hoc nos negamus. Pontificii contra affirmant. Rationes eorum, qvibus id effici volunt, posterius considerabimus. nunc orthodoxæ sententiæ firmamenta ponemus.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ

Veræ sententiæ adjumenta exponens.

SECTIO III. κατασκ. Fundamentum Orthodoxorum tripartitum.

IX. Qvod igitur felix faustumqve sit, argumentamur hunc in modum:

Qvæcunqve Ordinatio 1. inde ab initio in veteri Ecclesiâ, multorum seculorum usu fuit probata, 2. ab ipso magno Concilio Nicæno Oecumenico I. rata habita, 3. novellis & Ecclesiasticis regulis post aliqvot à nato CHRISTO secula sublata est, illa semper & ubique jure humano non fuit irrita.

At Ordinatio Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, facta per Presbyterum, cui Episcopus ab alio Episcopo ordinatus ordinandi potestatem non dedit, 1. inde ab initio in veteri Ecclesiâ multorum seculorum usu fuit probata, 2. ab ipso magno Concilio Nicæno Oecumenico I. rata habita,

bita, 3. novellis & Ecclesiasticis regulis post aliqvot à na-"
to CHRISTO secula sublata est.

Ergo Ordinatio Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, "
facta per Presbyterum, cui Episcopus ab alio Episcopo "
ordinatus ordinandi potestatem non dedit, semper & ubi- "
qve jure humano non fuit irrita.

Majoris consequentiam particulatim demonstrare facile est. Primò enim Ordinationem aliqvam semper, id est, omni tempore, & ubiqve id est omni loco fuisse irritam, & eandem aliqvo tempore & qvibusdam in locis usu tuisse probatam atqve ratam habitam, sunt pugnantia, qvorum unum tollit alterum, extremo ergo asserto, qvid restat, nisi ut negetur primum. Ad eundem modum pugnant qvoqve inter se, Ordinationem aliqvam à Concilio Nicæno I. esse ratam habitam, & eandem semper & ubiqve jure humano fuisse irritam. Concilii enim Nicæni decreta partem juris humani ecclesiastici constituunt. Priori ergo affirmato, posterius non potest non negari. Nec in tertio membro obscura consequentiæ ratio est. Qvæ enim ordinatio novellis legibus post aliqvot à CHRISTO nato secula fuit prohibita, ea ante illas leges per aliqvot à nato CHRISTO secula fuit licita, & juri consentanea. Qvæ verò per tot secula juri fuit consentanea, ea non semper fuit irrita. Irritum enim qvod est, legibus consentaneum non est.

X. Assumtionis partes singulas seorsum pœnam, singulasqve positiones perspicuis firmabo rationibus. Ac prima qvidem hæc erat:

Ordinatio Presbyterorum & Episcoporum, facta per "
Presbyterum, cui Episcopus aliqvis ordinatus ordinandi "
potestatem non dedit, in veteri ecclesiâ inde ab initio mul- "
torum seculorum usu fuit probata. XI.

XI. Fidem faciunt seqventia. Seculo I. II. & III. per ducentos ferè annos in Ægyptiacâ Ecclesiâ Presbyteri Alexandrini suum ordinarunt Episcopum sive Patriarcham. Testis est *Hieronymus*, qvi seculo IV. floruit, Epist. ad Evagr. T. II. f. 329. *Alexandriæ*, inqvit, *à Marco Evangelista usq; ad Heraclam* (qvi Demetrio successit anno Imperii Alexandri decimo, teste *Eusebio* Hist. Eccl. lib. VI. c. 25. f. 84.) *& Dionysium* (qvi Heraclæ successit anno tertio Imperii Philippi, qvi incidit in medium secul. III.) *Episcopos, PRESBYTERI SEMPER unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, EPISCOPUM nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se, qvem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Hæc *Hieronymus*. ex qvibus videre est, Presbyteros illos ita feciſſe Episcopum, ut exercitus Imperatorem. At qvem exercitus olim in Rep. Rom. elegerat & Principem salutaverat, ei nihil ad summam Imperii potestatem deesse credebatur: ita & qvem Presbyteri illi elegerant, in excelsiori gradu collocarant & Episcopum nominarant, ille pleno Episcopi jure gavisus. Immò qvamprimùm communi Presbyteri totius decreto in excelsiori gradu collocatus fuit, Episcopus verè fuit & dici meritò potuit. Nec magis hîc ab Episcopo aliqvo consensio & ordinandi potestas petenda fuit, qvàm exercitus olim Romanus aliorum in eligendo Principe exspectandam sibi consensionem putavit. Planiùs hæc refert *Eutychius Alexandrinus*, qvi sub finem seculi IX. ibi Patriarcha fuit, lib. I. Annal. p. 331. 332. *Constituit*, inqvit, *Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarchâ, adeò ut si vacaret Patriarchatus, eligerent unum è duodecim Presbyteris, cujus CAPITI RELIQVI UNDECIM MANUS IMPONERENT,*

Presbyter in veteri Ecclesiâ ordinavit alios

EUMQve BENEDICERENT, & PATRIARCHAM EUM CREARENT, & dein virum aliquem insignem eligerent, eumq; PRESBYTERUM secum CONSTITUERENT loco ejus, qui sic factus est Patriarcha, ut ita semper extarent duodecim; neq; desiit Alexandriæ hoc institutum de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qvi fuit ex numero illo CCCXVIII (eorum scilicet, qvi interfuerunt Concilio Nicæno A. C. 325) *Ab Hanania, qvem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usque in tempora Demetrii*, (qvi sub finem seculi II. Ecclesiæ Alexandrinæ præfectus est, teste *Eusebio* Hist. Eccl. lib. V. c. 20. f. 71. eiqve præfuit annis 43. teste eodem lib. VI, c. 25. f. 84.) *nullus erat in provinciis Ægypti Episcopus, nec Patriarchæ ante eum crearunt Episcopos, ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas, Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti.* Hæc Eutychius. qvibus illud Hieronymi testimonium non tantùm confirmatur, sed etiam egregiè illustratur. Nam disertè Presbyteros illos undecim *capiti electi Patriarchæ manus* ait *imposuisse, eumque benedixisse & Patriarcham creasse.* qvibus verbis ipsa Ordinatio per eos facta describitur. Nullius autem Episcopi fecisse consensu, argumento illud est, qvod nullus in provinciis Ægypti Episcopus illo tempore fuisse dicatur.

XII. Iisdem ferè temporibus, & seqventi seculo IV. & per V. fere dimidium Scotica Ecclesia per Presbyteros suos ordinandos curavit Presbyteros: Episcopis ejusmodi, ab aliis qvi consecrati sint Episcopis, destituta, qvos demum regnante Dongardo A. C. 452. habere cœpit, operâ Palladii à Cœle-

à Cœlestino Pont. Rom. eò missi. qvæ omnia luculentis probabo testimoniis. Ne qva verò oriatur confusio, ad certâ qvædam capita revocabo, qvæ probatione indigent. Primum erit, Scotos multò ante Palladium fuisse Christianos. Alterum, Palladium primum Scotorum fuisse Episcopum, & Episcoporum conditorem. Tertium, Scotos ante Palladium non habuisse Episcopos. Qvartum, habuisse tamen suos Sacerdotes Antistites & Presbyteros. Qvintum deniqve Scoticam Ecclesiam ante Palladium suos Presbyteros per Presbyteros ordinasse. Qvod igitur ad *primum* attinet, Scotos nempè jam multò ante Palladium, qvi seculo V. vixit, Christi cognitione fuisse imbutos, illud vel ex *Hieronymo*, seculi IV. Patre, intelligi licet, qvi in Hierem. l. 3. Præf. T. V. f. 292. de Pelagio hæc inter alia disserit: *Latrat per Alpinum canem grandem & corpulentum, qui calcibus magis possit ferire, quàm dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia.* Cum igitur Pelagiani aliqvi exstiterint in Scotiâ Hieronymi tempore, Christianos qvoqve in eâ tum fuisse necesse est. Pelagiani enim Christiani, sed hæretici sunt. Immò jam seculum III. Scotos Christianos vidit. *Hector Boëthius* Scotor. Histor. lib. VI. f. 92. *Cæpere nostri eo temporis* (sub Findoco circa A. C. 263.) *Christi dogma accuratissimè amplexari, monachorum quorundam ductu & adhortatione, qui* (*quod sedulò prædicationi vacarent essent q; frequentes in oratione*) *ab incolis* cultores Dei *sunt appellati. Invaluit id nomen apud vulgus in tantum, ut sacerdotes omnes ad nostra pene tempora vulgo* Culdei *id est cultores Dei sine discrimine vocitarentur.* Georgius Buchananus Scotus Donaldum I. qvi ante Findocum sub initium seculi III. regno Scotiæ præfuit, Christianos ritus recepisse scribit, Rer. Scotic. lib. VI. p. 115

Scoti Christiani multò ante Palladium.

qvâ de re *Joannes Leslæus*, Episcopus Rossensis lib. III. de gestis Scotorum in Donaldo I. hos recitat antiqvos versus:

Christi transactis tribus annis atqve ducentis,
Scotia catholicam cœpit inire fidem.

Atqve hoc ipsum *Tertulliani* qvoqve, cujus ætas in idem incidit tempus testimonio confirmant. Is enim adv. Judæos c. 7. f. 184. edit. Paris. Moreau 1658. ait, *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita.* Britannorum enim inaccessa Romanis loca fuisse dicunt Scotos, qvos illi subigere neqvaqvam potuissent. Agnoscunt testimoniorum horum vim adeoqve antiqvitatem Scoticæ Ecclesiæ ipsi Pontificii, è qvibus Cardinal. *Baronius*, cum ad A. C. 429. n. 3. eodem modo sententiam hanc nostram asseruisset, tandem hæc subjicit, n. 4. f. 587. *Qui à Victore Romano Pontifice* (qvi sub finem sec. II. vixit) *Scotos Evangelium accepisse, majorum traditione scripsere, haud sunt refellendi.* Baronio subjungenda confessio *Arnoldi Meermanni Alostani*, qvam ex Theatro ejus conversionis gentium exhibet *Voëtius* disp: select. part. II. de gentilism. p. 632. his verbis: *Scoti, Picti, Hiberni, cæteriqve ejus climatis insulares videntur eodem tempore* (sub finem sec. II.) *fidem accepisse, sed Episcopum non ita.* Plura de Antiqvitate Scoticæ Ecclesiæ suppeditabunt *Robertus Abotus*, in defens. Catholici Reformati Perkinsi contra Bishopum part. I. ad præf. §. 31. & *Jac. Usserius* in primord. Ecclesiarum Britannicarum cap. 1. seqq. laudati eidem *Voëtio* l. c. de Plantator. Eccles. p. 564. Hactenus *primum*, qvod demonstrandum erat. Seqvitur *alterum* de Palladio, cujus operâ Scotos primùm habere cœpisse diximus Episcopos. Id verò nos iterum docent ipsi Scotorum scriptores *Hector Boëthius* lib. 7. f. 128. *Palladius primus omnium, qvi sacrum inter Scotos egere magistratum*

Palladius primus Scotorum Episcopus,

stratum, à summo Pontifice (seculo V.) *pontifex creatus.* Buchananus Rer. Scotic. lib. V. p. 141. *Creditur idem Palladius primus Episcopos in Scotiâ creasse* (A. C. 452.) *Nam ad id usque tempus Ecclesiæ absque Episcopis per Monachos regebantur.* Consentiunt omnes alii, vel ipso è Pontificiis teste *Baronio*, cujus verba l. c. hæc sunt: *Primum eam gentem* (de Scotis loqvitur) *à Cœlestino Papa Episcopum habuisse Palladium, omnes consentiunt.* Venio ad *Tertium*, qvod erat, Scotos ante Palladium non habuisse Episcopos. Id verò ex iis, qvæ modo tradidi, facilè intelligitur. Nam si Palladius primus fuit eorum Episcopus, & primus Episcopos in Scotiâ creavit, consequens certè est, ante Palladium non habuisse Episcopos. Si enim habuissent, Palladius nec primus fuisset Episcopus, nec primus in Scotiâ creasset Episcopos. Accedit testimonium *Joannis Majoris*, qvi disertè per sacerdotes & Monachos sine Episcopis Scotos in fide eruditos esse scribit lib. II. de gest. Scotor. c. 2. *Buchananum* qvoqve jam dixisse accepimus, ad tempus usqve Palladii Scotorum Ecclesias *absque Episcopis per Monachos rectas* fuisse. Nec cum his pugnat *Hector Boëthius*, qvum Scot. Hist. lib. VI. f. 92. *Culdeos* ait *Pontificem inter se communi suffragio delegisse, penes qvem rerum divinarum esset potestas, atque eum multos deinceps annos Scotorum Episcopum esse appellatum.* Nam Buchananus, Major, & cœteri, qvum Scotos ante Palladium negant habuisse Episcopos, tales intelligunt, qvalis ipse Palladius fuit, id est ordinatos ab aliis Episcopis. Atqve hoc idem cum illis Boethius qvoqve negat, dum asserit, *Palladium primum omnium, qvi sacrum inter Scotos egerint magistratum, à summo Pontifice Pontificem esse creatum* l. c. At verò cum *Pontificem à Culdeis* scribit *electum & Episcopum appellatum*, eum intelli-

Scoti ante Palladiū non habuere Episcopos.

telligit, qvi non ab aliis Pontificibus sed â Monachis & Culdeis sive Presbyteris electus fuerat. Nam disertè Pontificem à Pontifice creatum, & Pontifices ex Monachis & Culdeis assumtos distingvit l. c. *Palladius*, inqvit, *primus omnium, qui sacrum inter Scotos egere magistratum, à summo Pontifice Pontifex creatus; cum antea populi suffragiis ex Monachis & Culdeis Pontifices assumerentur.* Succedit *Quartum*, nempe Scotos ante Palladium nihilominus suos habuisse sacerdotes, antistites, Presbyteros & Ecclesiæ ministros. Cujus rei testis, præter *Buchananum*, *Majorem*, *Boëthium*, est *Joannes Fordonus* Scotichronic: lib. III. c. 8. his verbis: *Ante Palladii adventum habebant Scoti fidei doctores ac sacramentorum ministratores Presbyteros solummodo vel Monachos, ritum sequentes Ecclesiæ primitivæ.* Restat *Quintum*, qvod videlicet Scotica Ecclesia ante Palladium suos sibi Presbyteros & antistites per Monachos & Presbyteros ordinarit. Id verò ex superioribus facile efficitur seqventi argumento. Si enim Scoti per 250 annos ferè sacerdotes Presbyteros habuerunt, Episcopis verò, qvi ab aliis ordinati fuissent Episcopis, caruerunt, consequens est, mortuo Presbytero vel Culdeorum Antistite, cum surrogandus alius in ejus locum esset, aut nullam adhibitam ordinationem esse, aut, si qva adhibita, eam à Presbyteris peractam, nullâ ipsis ab ullo Episcopo factâ potestate, ut Presbyteri, non Episcopi ordinarint Presbyteros & Antistites. Si primum asseritur, confiteantur adversarii necesse est, ordinationem non esse ita necessariam, ut sine eâ nec ministri esse, nec verbum DEI efficaciter tradi, nec sacramenta consecrari & dispensari possint. Sin extremum assumitur, aut legitimam fuisse dicant oportet illam ordinationem, aut non legitimam. Si hoc affirmant, redit illud

Scotorum ante Palladium Antistites & Presbyteri.

Scoti ante Palladium presbyteros & antistites per Presbyteros ordinarunt.

illud qvod modò dixi, nempe sine ordinatione legitimâ per Episcopum ab alio Episcopo ordinatum factâ, posse nihilominus ministros Ecclesiæ constitui, verbum Dei tradi, & sacramenta efficaciter consecrari atqve dispensari. Sin illud dixerint, consecuti sumus id, qvod intendimus, Ordinationem scil. Presbyterorum per Presbyteros, etiam non consentiente & permittente ullo Episcopo, in veteri Ecclesiâ fuisse usu probatam & ratam habitam.

XIII. Neqve verò ubi Scotica Ecclesia Episcopos habere cœpit, Presbyteris ademtum Ordinandi jus; sed qvibusdam per aliqvot secula VI. nempe, VII. & VIII. permissum fuit, tam Episcopos qvàm Presbyteros ordinare. tantum verò abfuit, ut ab Episcopis petenda ipsis potestas ordinandi fuerit, ut ipsi etiam Episcopi illis subesse Presbyteris cogerentur. Audiamus *Bedam* Hist. Eccl. lib. III. c. III. T. III. op. f. 73. *Oswaldus*, inqvit, *mox ubi* Nordanhumbrorum *regnum suscepit*, id est Anno 634. *desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratiâ imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis Barbaris jam cœperat, misit ad majores natu Scotorum, inter qvos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his, qvi secum erant, militibus consecutus erat, petens ut sibi mitteretur Antistes, cujus doctrinâ & ministerio gens, qvam regebat, Anglorum Dominicæ fidei & dona disceret & susciperet sacramenta. Nec aliqvanto tardius qvod petiit impetravit; accepit namqve Pontificem Aidanum summæ mansvetudinis & pietatis ac moderaminis virum, &c. cui Rex locum sedis Episcopalis in insulâ Lindisfarnensi ubi ipse petebat tribuit etc. Imbuebantur præceptoribus Scotis parvuli Anglorum unà cum majoribus, studiis & observatione disciplinæ regularis, nam Monachi erant maximè, qvi ad prædicandum venerant. Monachus*

Scotorum consuetudo continuata.

ipse Episcopus Aidanus, utpote de insula, quæ vocatur Hy, destinatus, cujus monasterium in cunctis pene septentrionalium Scotorum seu Ultonienſium, *& omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat* &c. & cap. V. f. 76. *Ab hàc ergo insulà, ab horum collegio Monachorum ad provinciam Anglorum instituendam in Christo, missus est Aidanus accepto gradu Episcopatus, quo tempore eidem monasterio Segenius Abbas & Presbyter præfuit,* &c. *Ferunt autem quia cum de provincia Scotorum Rex Oswaldus postulasset antistitem, qui sibi suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primò alius austerioris animi Vir, qui cùm aliquandiu genti Anglorum prædicans nihil proficeret, nec libenter à populo audiretur, redierit in patriam, atque in conventu Seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset; eò quod essent homines indomabiles & duræ ac barbaræ mentis. At illi* (ut perhibent) *tractatum magnum in Concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti, quam petebant, salutem esse, sed non recepto, quem miserant, prædicatore dolentes. Tunc ait Aidanus* (*nam & ipse Concilio intererat*) *ad eum, de quo agebatur; sacerdotem*: Videtur mihi frater, qvia durior justo indoctis auditoribus fuisti, & non eis (juxta Apostolicam disciplinam) primò lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora & ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent. *Quo audito omnium, qui consedebant, ad ipsum ora & oculi conversi, diligenter, quid diceret, discutiebant, & ipsum esse dignum episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt; qui gratiâ discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus; sicque illum ordinantes*

nantes, ad prædicandum miserunt &c. et cap. XVII. f. 90. *Obiit decimo septimo Episcopatus sui anno* (Christi 651.) *pridie Kalendarum Septembrium &c. Successit verò ei in Episcopatu Finan & ipse illò ab Hy Scotorum insulâ ac monasterio destinatus, actempore non pauco in Episcopatu permansit &c.* & cap. XXI. f. 96. *ipso* Middelenglorum Rege Penda *occiso* Anno 655 *cum Osuvi Rex Christianissimus regnum ejus acciperet, factus est Diuna Episcopus mediterraneorum Anglorum simul & Merciorum ordinatus à Finano Episcopo; paucitas enim sacerdotum cogebat unum antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco sub tempore non paucam Domino plebem acquisisset, defunctus est apud mediterraneos Anglos, in regione, quæ vocatur in Feppingum; susceptiq; pro illo Episcopatum Ceollach & ipse de natione Scotorum, qui non multo post Episcopatu relicto reversus est ad insulam Hy, ubi plurimorum caput & arcem Scoti habuere cœnobiorum; succedente illi circa annum 560. in Episcopatum Trumhere, viro religioso & Monachicâ vitâ instituto, natione quidem Anglo, sed à Scotis ordinato Episcopo, quod temporibus Vulfheri Regis factum est, &c.* & cap. XIV. f. 101. *Primus in provinciâ Merciorum, simul & Lindisfarorum ac mediterraneorum Anglorum factus est Episcopus Diuna, qui apud mediterraneos Anglos defunctus est; secundus Ceollach, qui relicto Episcopatus officio, vivens ad Scotiam rediit, uterque de genere Scotorum; tertius Trumhere de natione quidem Anglorum, sed doctus & ordinatus à Scotis, &c.* & cap. XXV. f. 102. *Interea Aidano Episcopo de hac vita sublato, Finan pro illo gradum Episcopatus à Scotis Ordinatus & missus acceperat &c. Defuncto Finano* anno 661. *cum Colmannus in Episcopatu succederet, & ipse missus à Scotia, gravior de observatione Paschæ nec non & de aliis Ecclesiasticæ vitæ disciplinis con-*

troversia nata est. &c. & cap. XXVI. f. 108. *Reverso in patriam Colmanno, suscepit pro illo Episcopatum Nordhumbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scotos Austrinos eruditus atque ordinatus Episcopus &c.* Hæc Beda. ex cujus testificatione constat, à *majoribus natu, conventu seniorum, monarchorum Hyensium collegio*, cui *Abbas Presbyter* præfuit, seculo VII. *missos, destinatos, ordinatos* Episcopos esse, præter illum *austerioris animi virum, Aidanum, Finanum, Ceollach, Trumhere, Colmannum, Tudam.* Obtinuisse autem illum morem jam seculo VI, nec VIII. mutatum fuisse, cum Beda hæc scriberet, semperqve Pictorum Scotorumqve septentrionalium Episcopos Abbati Presbytero Hyensis monasterii subesse debuisse, idem ille seqventibus testatur verbis: *Venit in Britanniam Columbanus regnante Pictis Bridio filio Meilochon rege potentissimo, nono anno regni ejus, gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Christi convertit; unde & præfatam Insulam* Hyensem seu Jonam *ab eis in potestatem monasterii faciendi acceperit &c. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti. juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Episcopus sed Presbyter extitit & monachus*, lib. III. cap. IV. Cum igitur Abbati Presbytero cùm omnis provincia, tum ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debuerint esse subjecti, & ab illo ejusqve monachorum Collegio Episcopi constituti per aliqvot secula fuerint, non est certè credibile, Rectorem illum provinciæ & Episcoporum ab Episcopis petere debuisse ordinandi potestatem.

XIV. Hactenus prima Assumtionis pars firmata. seqvitur altera, qvam hæc propositio continet:

Ordi-

Ordinatio Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum" facta per Presbyterum, cui Episcopus aliqvis ordinatus" ordinandi potestatem non dedit, ab ipso Concilio Nicæno" Oecumenico I. rata habita est.

XV. Id verò efficitur ex Concilii laudati canone VIII. qvi ita habet: Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαροὺς ποτὲ, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγιᾷ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. - - - ἔνθα μὲν οὖν πάντες εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι (alii legunt τάγματι). εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος προσέρχονταί τινες, πρόδηλον, ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπισκόπου. ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις καθαροῖς ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει, πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν, Cod. Can. Eccl. Un. ap. Justell. Tom. I. f 31. *Dionysius Exiguus* in Cod. Can. Eccl. ap. Justel. T. I. f. 117. & *Crisconius* Episc. Africanus in Collect. Can. ap. eund. in Append. T. I. f. 55. ita Latinè verterunt: *De his, qui se cognominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant. - - - Ubicunque verò, sive in municipiis sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati: qvi inveniuntur in clero, in eodem habitu* (ordine) *perseverent: Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto quidam ex illis adveniunt: certum est, quod Episco-*

ſcopus Eccleſiæ habebit Epiſcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos Epiſcopus, honorem Presbyterii poſſidebit, niſi fortè placuerit epiſcopo nominis eum honore cenſeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in clero prorſus eſſe videatur: ne in unâ civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.

XVI. Ut rectè intelligatur hic Canon, primò tenendum, qvod Cathari iidem ſint qvi Novatiani. Deinde, qvod ſuos habuerint Epiſcopos. Tum, qvod Epiſcopi eorum à Presbyteris primam originem ducant. Præterea, qvod nullus Epiſcopus Presbyteris illis ordinandi poteſtatem dederit. Deniqve, qvod Concilium Nicænum illorum Ordinationem probarit. Singula demonſtrabo. Ac primum qvidem Novatianos & Catharos eſſe eosdem, docet diſertis verbis *Auguſtinus* de Hæreſ. ad Qvodvultdeum c. 38. T. VI. f. 18. *Epiphan.* lib. II. de Hæreſ. T. I. oper. hær. 59. f. 235. 237. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. lib. VI. c. XLII. f. 89. edit. Lat. Baſil. 1570. *Ruffinus* Hiſt. Eccl. lib. I. c. VI. f. 203. *Haymon* Hiſt. Eccl. lib. VI. c. XIII. f. 76. Et *Novatiani* qvidem dicti ab auctore *Novato* vel *Novatiano* ſunt; *Catharos* autem ſe ipſi vocarunt à dogmate, qvod Græcè dictum καθαρὸν fuit, teſte *Hieronymo* de Script. Eccleſ. in Novatian. T. I. f. 291. qvia puritate ſeu ſanctitate cæteris Chriſtianis ſe præſtare putabant.

Cathari iidem qvi Novatiani

XVII. Epiſcopos habuiſſe, teſtis eſt *Socrates*. Is enim ſæpe eorum mentionem facit in Hiſtoriâ ſuâ Eccleſiaſticâ, ut Ablabii Nicæni lib. VII. c. XII. f. 336. Maximi Nicæni lib. IV. c. XXIII. f. 305. Marci in Scythia lib. VII. cap. XLV. f. 349. inprimis verò Conſtantinopolitanorum ordinem diligenter exponit, inde à tempore Concilii Nicæni usqve ad XVII. Conſulatum Imperatoris Theodoſii, qvi incidit in A. C. 438. primo

Novatianorum Epiſcopi

primò nominans Aceſium lib. I. c. VII. f. 235. Deinde Agellium lib. IV. c. IX. f. 295. tum Marcianum & Siſinnium lib. V. c. XX. f. 316. & lib. VI. c. I. f. 322 cui ſubjungit Chryſantum lib. VII. c. XII. f. 336. & huic Paulum lib. VII. c. XVII. f. 338. Paulo deniqve Marcianum alterum lib. VII. c. XLV. f. 349. Immo ipſum Concilium Nicænum Oecumenicum I. Catharorum agnoſcit Epiſcopos l. c.

Orti à Novato vel Novatiano.

XVIII. Illi verò, ſi primam eorum originem qværas, non aliunde orti, qvam à Novato vel Novatiano ſunt. Novatus enim parens hujus hæreſeos, ut *iſtic* (Carthagine) *adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat*, ita *illic* (Romæ) *epiſcopum fecit*, teſte *Cypriano* ep. ad Cornelium l. c. Qvis autem ille fuerit Epiſcopus, ipſe Cornelius Papa R. docet epiſt. I. qvæ exſtat Tomo I. Concil. Binii f. 131. his verbis: *Invidens ille antiquus hoſtis* (Diabolus) *ſuſcitavit nobis adverſarium Novatum, rectæ fidei & ſanctæ doctrinæ æmulum, qui extra Eccleſiam ordinavit Novatianum, & in Africâ Nicoſtratum, utrosq; hæreticos, ſicut ille erat: Hi verò conatibus, quibus potuerunt, multos à rectâ & Catholicâ fide ſvadentes recedere fecerunt, & poſt ſe in perverſam & DEO odibilem doctrinam corruere perſvaſerunt.* Atqve hinc orti cæteri eorundem Epiſcopi.

Novatus Presbyter

XIX. Sive autem ad Novatianum, Novati diſcipulum, Epiſcoporum hujus ſectæ referas originem; non tamen ab alio qvàm Presbytero ordinatos reperies. Nam Novatus Cypriani in Africâ fuit Presbyter, teſte *Hieronymo* Catal. Script Illuſtr. in Novatiano Tom. I. f. 291. *Euſebio* in Chronicis, *Haymone* Hiſt. Eccl. lib. VI. c. XIII. p. 76. *Baronius* qvidem ad Ann. CCLIV. n. 59. Epiſcopum in Africâ fuiſſe dicit, idqve inde probat, qvod Cyprianus Eeliciſſimum ab eo Diaconum conſtitutum eſſe dicat. Verùm hanc conſeqventiam

Exceptio Baronii refellitur.

tiam refellit ipse Cyprianus, qvum ait, *se nec permittente nec sciente, Novatum Felicissimum satellitem suum Diaconum constituisse* ep. 49. l. c. Qvod si Episcopus fuisset Novatus, non opus fuisset Cypriani permissu & consensu, ut satellitem suum Diaconum ordinare posset. nec Cyprianus hoc ei vitio dare potuisset. Nullus enim canon, nulla consvetudo tale qvid jusserat. Nunc verò cùm non exspectato nec rogato Cypriani permissu & consensu Novatus Diaconum ordinarit satellitem, idqve ei vitio detur à Cypriano, hoc ipso efficitur, non fuisse Episcopum, sed qvi Episcopo subesset. Illud fortè dubitationem alicui afferre posset, qvod *Eusebius* Hist. Eccl. lib. VI. c. XLII. f. 89. & *Socrates* Hist. Eccl. lib. IV. c. XXIII. f. 305. Novatum tradunt à tribus Episcopis fuisse ordinatum. Verùm verbo lapsi sunt. Novatianum dicere voluerunt, certè debuerunt, qvum Novatum dixerunt. Diversos omnino fuisse homines, non tantùm ex *Cypriani* epist. ad Cornel. & *Hieron.* l. c. sed etiam ex *Cornelii* P. R. laudatâ modò epistolâ, immò ex ipsius *Eusebii* Chronicis luculentissimè intelligi potest. At Græci similitudine vocum decepti Novatum pro Novatiano identidem posuerunt. Sic *Eusebius* eo ipso libro cap. XLIV. f. 90. edit. Lat. Basil. c. 45. edit. Græc. Paris. 1544. Dionysium Episcopum Alexandrinum Novato scripsisse ait Epistolam, cujus initium hoc est: Διονύσιος νοβάτῳ τῷ ἀδελφῷ χαίρειν. ἐ ἄκων ὡς φῄς ἦλθες, δείξεις ἂν ἀναχωρήσας ἑκών. *Dionysius Novato fratri salutem. Si invitus impulsus es, sicut dicis, declarabis hoc, si voluntarius redieris.* At Hieronymus in Dionysio f. 290. eandem epistolam ad Novatianum fuisse scriptam dicit, hinc ejus tale commemorat initium: *Dionysius Alexandrinus Episcopus Novatiano*, in cæteris cum Eusebio convenit. Hieronymum seqvitur *Sophronius*

Alia Exceptio.

diluitur.

nius, qvi hunc ejus librum Græcè vertit, & *Freculphus* Episcopus Lexonienſis in Chronicis ſuis, *Platina* qvoqve in Cornelio p. 29. Accedit, qvod *Euſebius* c. XLII. Novatum illum, qvem à tribus Epiſcopis ordinatum ſcribit, diſertè vocat τῆς ῥωμαίων ἐκκλησίας πρεσβύτερον *Romanæ eccleſiæ Presbyterum.* qvod ipſum etiam non obſurè ſignificat Socrates. Hoc autem in Novatianum tantùm cadit. Nam Novatus non Romanæ, ſed Carthaginenſis Eccleſiæ, cui Cyprianus præfuit, Presbyter fuit, teſte *Hieronymo* in Novatiano. Præterea *Socrates* tradit, Novatum illum, poſtqvam Epiſcopi dignitate ornatus fuiſſet, omnibus ubiqve ſcripſiſſe Eccleſiis, ne eos, qvi ſimulacris immolaſſent, ad myſteria admitterent. At hoc iterum non in Novatum, ſed Novatianum convenit, qvi pro Romano Epiſcopo ſe venditabat. Mos enim erat, ut Epiſcopi Romani, ubi ad Pontificatus faſtigium primum evecti, tam de munere recens ſibi impoſito, qvàm de eâ fide, qvam profitebantur, literas ad Patriarchas, Metropolitanos & alios Epiſcopos ſcriberent, qvas συνοδικὰς, item ἐνθρονιστικὰς appellabant, teſte *Gelaſio I.* epiſt. ad Laurentium de Liqvido Episcopum. vid. *Franciſc. Bernardin. Ferrar.* lib II. de antiqvo epiſt. Eccl. genere c. 6. p. 131. ſeq. *Forbeſii* lib. III. inſtruct. Hiſt. Theol. c. 16. n. 4. f. 144. & lib. 5. c. 9. n. 9. f. 239. Qvid multa? agnoſcunt hunc Scriptorum Græcorum errorem ipſi Pontificii, nominatim *Jacob. Pamelius* Annot. ad Cyprian. epiſt. 41. annot. 6. f. 76. edit. Antverp. & *Spondanus* ad Ann. 254. n. 8. ut adeò nulla ſuperſit dubitatio.

Novatianus Preſbyter.

XX. Qvæ verò Novati, eadem & Novatiani ratio fuit. Nam & hic Presbyterum tantùm egit, & qvidem Romanæ Eccleſiæ, teſte *Hieronymo* in Dionyſio Alexandrino f. 290. & Novatian. f. 291. Et licet *Euſebius & Socrates* ll. cc. eundem

postea ex Presbytero Episcopum factum asserant; irrita tamẽ illa ordinatio non tantùm veteri visa est Ecclesiæ, sed etiam hodiernæ Romanæ. Nam è Veteribus Cornelius Episcopus Romanus illam manuum impositionem, qvâ Novatianus ordinatus Episcopus est, vocat vanam & imaginariam, in epist. ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Præsidem ap. Euseb. lib. VI. c. XLII. f. 89. Verba Cornelii, qvibus rationem ordinationis illius explicat, ex Græcis Eusebii à Musculo Latina facta, ita habent: *Egregius vir* (Novatianus) *cum tremendis quibusdam juramentis affirmasset, nullum se prorsus episcopatum affectare, repente velut ex præstigiis qvibusdam in medium productus Episcopus apparuit. Hic enim dogmatistes, & Ecclesiasticæ scientiæ Hyperaspistes, cum Episcopatum è supernis sibi non datum præsumere & subripere conaretur, duos hæresis suæ consortes deploratæ salutis homines elegit, quos ad exiguam quandam & minimam Italiæ partem mitteret, atq; inde tres Episcopos, homines agrestes ac simplicissimos, artificioso quodam figmento seduceret, asserens & affirmans, Romam eos quam citissimè debere venire, eo prætextu, quòd omne illud dissidium, ipsis unà cum aliis Episcopis intervenientibus, esset è medio tollendum. Hosce, cum veniissent, tanquam simplices, sicut diximus, & machinationis ac versutiæ malorum imperitos, à consimilibus quibusdam ad hoc subornatis hominibus inclusos, horâ decimâ jam temulentos & exsaturatos, violenter & imaginaria quadam & vana manuum impositione episcopatum ipsi dare coëgerunt, quem insidiosè & versutè sibi non competentem vendicat. Ex illis unus paulò post ad Ecclesiam rediit, peccatum suum deplorans & confitens, quem etiam, populo cuncto pro eo intercedente, ad laicam communionem recepimus. In locum autem reliquorum Episcoporum successores à nobis ordinatos misimus*

simus. Hæc Cornelius. *Cyprianus* ep. LII. edit. Pamel. ad Antonian. f. 93. eum negat *habere Ecclesiasticam ordinationem*: nec secundum à Cornelio Episcopum, sed *nullum* esse dicit, qvod *nec Episcopi potestatem possit habere, nec honorem*. Atqve hæc non tantùm probant jura Pontificia c. Factus 5. Caus. VII. qv. I. & c. Novatianus 6. eod. sed Novatianum etiam l. c. nominatim Episcopum esse negant. Verba plana sunt: *Novatianus Episcopus non est*, c. Novatianus 6. Causs. VII. qv. I.

XXI. Relinqvitur igitur, primos Novatianorum parentes fuisse Presbyteros, & ab his ortos & ordinatos Episcopos illorum esse, qvod postea habuerunt. Aliam eorum originem ignorat Antiqvitas; nec unqvam reperient adversarii ipsi. Presbyteris autem illis Episcopum aliqvem ordinatum ordinandi feciſſe potestatem, non tantùm omni antiqvitati ignotum, sed etiam multis de causſis prorsus verisimile non est. Immò Novatus disertè dicitur ordinasse Diaconum nec permittente nec sciente Episcopo suo, ap. *Cyprian.* ep. ad Cornel. & Novatiano qvæcunqve per ordinationem Episcopalem collata potestas fuit, eadem sublata cum ipsâ ordinatione est.

XXII. Hoc superest, ut demonstremus ex laudato Canone, Nicænum Concilium probasse eorum ordinationem. Id verò non difficile fuerit, si consideremus, qvid Concilium Nicænum de Novatianorum Episcopis & Presbyteris, ad Ecclesiam reversis & ab eâdem receptis, fieri velit. Nimirum vult eos χειροθετηθέντας μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ, *per manus impositionem receptos, sic manere in Clero*; sive ut *Ruffinus* habet l. c, *Clericos in ordine quidem suo suscipi debere*, sive, ut Arabes verterunt, *eos, qui jam fuerunt ordinati, manere in clero acceptâ manus impositione*, Tom. II. Concil. Illustr. Period. II. Peric IV

Concilium Nicænum probavit Novatianorum Episcopos

Diatr. 43. p. 325. Et *OMNES, qui sive in vicis sive in urbibus repertifuerint* χειροτονηθέντες *jam ORDINATI, MANERE in CLERO, eodem ordine: in eo autem loco, ubi jam Episcopus Catholicæ Ecclesiæ est*, Episcopos Novatianorum reversos *habere honorem Presbyteri, ne in civitate duo sint Episcopi, ita ut omnino in clero esse videantur.* Ut verò iterum ordinentur, Concilium nusqvam præcepit, qvod tamen, si ordinationem eorum habuisset irritam, non omissurum fuisset; qvemadmodum & Paulianistas sive Samosatenianos, ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, iterum non tantùm baptizari, sed etiam ordinari disertè jusserat can. XIX. qvia ordinationem eorum non probabat ob negationem SS. Trinitatis; qvæ ratio in Novatianis locum non inveniebat. Immò non obscurè vetuit iterum eos ordinari: qvia vult, eos, qvi χειροτονηθέντες sive jam *Ordinati* reperiuntur, *manere in clero, eodem ordine.* Dum vult ordinatos manere in clero, eo ipso agnoscit, eos esse in clero. in qvo enim ordine aliqvis non est, in eo nec potest juberi manere. Qvum verò agnoscit, eos esse in clero, & certo ejus ordine, hoc ipso negat, eos adhuc ordinandos. Ordinandus enim non est, sed erit in clero vel certo ejus ordine: cùm per ordinationem aliqvis demum incipiat esse in clero vel ejus certo ordine. Ac proinde cùm Concilium agnoscat, Catharorum Episcopos esse ordinatos & in clero, eosqve velit in eodem clero eodemqve ordine manere, censuisse simul existimandum est, illos non esse ordinandos iterum. Qvid enim attinet, eum, qvi jam ordinatus in clero est & certo ordine in eodemqve debet manere, rursus ordinare, ut in illo clero eodemqve ordine sit & maneat? Hinc ejusmodi nascitur argumentum:

adeoq; & Ordinationem per Presbyteros factam

Qui-

Quicunque eos, quorum ordinatio primùm à Presbyteris non exspectato Episcopi ordinati consensu manavit, cujusmodi Catharorum Episcopi &c. erant, vult manere in clero, eodem ordine, modò ne duo in unâ urbe sint Episcopi; nec usquam præcipit, ut rursus ordinentur, cùm tamen alios, quorum ordinationem irritam habet, iterum ordinari jubeat; immò hoc diserte vetat: ille certè probat & ratam habet Ordinationem Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, à Presbyteris, non exspectato Episcopi alicujus ordinati consensu, factam.

At Concilium Nicænum eos, quorum ordinatio primum à Presbyteris non exspectato Episcopi ordinati consensu manavit, cujusmodi Catharorum Episcopi &c erant, vult manere in clero, eodem ordine, modo ne duo in unâ urbe sint Episcopi; nec usquam præcipit, ut rursus ordinentur, cùm tamen alios, quorum ordinationem irritam habet, iterum ordinari jubeat; immò hoc diserte vetat.

Ergo Concilium Nicænum probat & ratam habet Ordinationem Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, à Presbyteris non exspectato Episcopi alicujus ordinati consensu factam.

Major perspicuâ. Minor ante probata.

XXIII. At Concilium vult, ut Catharorum Episcopi *impositionem* manuum accipiant, & sic in clero maneant. Non nego. nego autem, hoc jam esse *ordinari*. Duplex enim olim fuit χειροθεσια seu *manuum impositio*, scilicet εὐλογίας *benedictionis* & χειροτονίας *Ordinationis* seu *consecrationis* ut ait *Tharasius* Patriarcha Constantinopol. Act. I. Concil Nic. II. T. III. Concil. observante *Justello* in Cod. Can. Eccl. Un. T. I. Bibl. f. 75. adeoqve non semper fuit consecrationis symbolum, sed & *Orationis super hominem*, cui manus imponebantur, *Exceptio. Resp.*

tur, ut loqvitur S. *Augustinus* lib. de Unic. Bapt. contr. Donat. Atqve hæc, qvæ *benedictionis* erat, adhibebatur cùm aliis, tum lapsis pœnitentibus & redeuntibus ab hæreticis ad veram Ecclesiam. Sic Dionysius Alexandrinus, qvùm ad Stephanum Rom. Episc. scripsisset de baptismate, an eo rursus purgandi essent ii, qvi ex qvâvis hæresi converterentur, mentionem fecit παλαιᾶ κεκρατηκότος ἔθους ἐπὶ τῶν ἰδίων μόνοις χεῖρας ἐπιθέσεως εὐχῆς, *veteris receptæ consvetudinis, quâ in ejusmodi hominibus solis uti solebant precibus cum manuum impositione*, ap. *Euseb.* Hist. Eccl. lib. VII. c. II. f. 72. edit. Gr. & f. 91 edit. Latin. Sic Aurelius Carthaginensis Episcopus censet, eos, qvi à Donatistis pueri baptizati & postea ad veritatem pervenerint, *anathematizato nomine erroris per manus impositionem, recipiendos in unam Ecclesiam, nec illud erroris nomen impedire debere, quo minus in Ecclesiâ Catholicâ clerici ordinari possint*, Cod. Can. Eccl. African. c. 57. ap. *Justel.* T. I. Bibl. f. 360. ubi certè manus impositionem, qvâ ab hæresi redeuntes recipiebantur in Ecclesiam, disertè distingvit ab ordinatione, cujus postea iidem participes fieri poterant. Illa enim præcessit, hæc secuta est, ac ne semper qvidem. Cum igitur laudatus etiam Canon Nicænus de Catharorum Episcopis in Ecclesiam recipiendis agat, omni certè rationi consentaneum est, eum loqvi de ejusmodi manuum impositione, per qvam pœnitentes hæretici recipi solebant ex veterum consvetudine. cujusmodi χειροθεσία εὐλογίας sive *impositio manuum benedictionis* fuit. Accedit & alterum argumentum, qvo efficitur, hanc, qvæ ad benedictionem tantùm, non illam, qvæ ad consecrandum sacerdotem referebatur, manus impositionem hîc intelligendum esse. Nam Concilium vult, ut qvi reperiuntur χειροθετηθέντες *ordinati, in clero permaneant*, & qvi-

& qvidem in *eodem ordine*. Qvum in clero eos permanere voluit, & qvidem in eodem ordine, hoc ipso noluit, eos iterum ordinari. & dum hoc noluit, simul χειροθεσίας χειροθυσίας sive eam manuum impositionem, qvâ clerici demum fiebant, removit. Remotâ autem hâc, qvæ supereſt, nisi illa, qvæ εὐλογίας sive *benedictionis* dicitur, qvâ reversi ex hæresi Episcopi vel Presbyteri per preces DEO commendabantur & in sacerdotio suo confirmabantur?

XXIV. Restat ultima Assumtionis pars, qvam hæc sistit positio:

> *Ordinatio Presbyterorum facta per Presbyterum, cui* "
> *Episcopus ordinandi potestatem non dedit, novellis tan-* "
> *tum & Ecclesiasticis legibus post aliquot à nato CHRISTO* "
> *secula sublata est.*

XXV. Id verò docent ipsa jura Pontificia c. Qvamvis 4. dist. 68 verbis Leonis I. ad Episc. Germ. & Gall. qvæ ita habent: *Qvamvis Chorepiscopis & Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispositio, quædam tamen autoritate veteris legis, quædam NOVELLIS & ECCLESIASTICIS REGULIS SIBI PROHIBITA noverint, SICUT est PRESBYTERORUM & Diaconorum aut Virginum CONSECRATIO.* Eadem verba legere licet in Concil. Hispalens. II. act. VII. ap. Magdeb. Cent. VII. c. IX. f. 142. Cum igitur seculo qvarto, qvo Leo I. vixit, cui illa verba tribuit Gratianus, in Romanâ Ecclesiâ, & septimo in Hispalensi, leges illæ, qvibus ab ordinatione Presbyterorum arcebantur Presbyteri, habitæ sint *novellæ & Ecclesiasticæ*; nemò certè non intelligit, seculo saltem I. II. & III. leges ejusmodi in Ecclesiâ Romanâ & Hispalensi non fuisse receptas. Secus enim non potuissent dici

dici tum *novellæ*. Atqve ita singula argumenti nostri membra suis munivimus rationibus. qvibus expositis, nihil restat, nisi ut concludamus.

Ordinationem Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, factam per Presbyterum, cui Episcopus ab alio Episcopo ordinatus ordinandi potestatem non dederit, semper & ubique jure humano non fuisse irritam.

SECTIO IV.

Ἀνασκ.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ

Contraria argumenta dissolvens.

I.

Obj. I.

XXUI. Sed audire juvat, qvid Adversarii contra disputent. Horum enim impetum si Presbyter qvoq; noster sustinuerit ac repulerit, nemo erit, qvi dubitet, invictum esse: Hæc verò illi afferunt in contrarium. Primo *Canonem Apostolorum I., Concilii Nicæni I quartum, Carthaginensis V* (aliis IV.) *secundum*, & alios, similes, qvibus præscribitur, ut *Episcopus à tribus ordinetur Episcopis*.

Resp.

Resp. 1. Verùm ex hoc tantùm efficitur, Episcopum ex præscripto Canonum legitimum ordinationis esse ministrum, qvod qvidem nunc in controversiam non venit (vide §. 11.); non autem, vel solum Episcopum in casibus etiam extra ordinem oblatis, ordinationis esse ministrum, vel Ordinationem à Presbytero factam esse irritam. 2. Deinde Canonum, qvi dicuntur, Apostolorum auctoritatem ne ipsa qvidem jura Pontificia comprobant, sed Apocryphis eos annumerant dist. XV. c. Sancta Romana 3. & dist. XVI. c. Canones 1. ipsiqve adversarii *Baronio, Bellarminus, Possevinus, Binius, Lindanus* rejiciunt, qvos lubet,

bet, nec qvisqvam ferè eorum iis se patitur adstringi. vide *Rivetum* Crit. S. lib. 1. c. 1. p. 100. seqq. *Cocum* Cens. p. 11. *Gerhardum* Conf. Cath. lib. 1. part. II. c. VI. p. 394. seqq. *Joh. Ludov. Ruelium* Concil. Illustr. Tom. 1. Period. 1. Perioch. 1. eclog. II. p. 23. seq. & alios. Aurelianensis Episcopus *Gabriel Albaspinæus* imperiti esse ait, pro certo affirmare, canones illos Apostolorum auctoritate sancitos publicatosqve esse, ipse verò alios aliis seculis factos existimat, & utrumqve rationibus aliqvot efficit, Observ. lib. 1. obs. 13. p. 55. 56. vide *Dorscheum* in Concil. Nicæn. sect. II. p. 99. 3. Qvæ cum ita sint, ex allatis canonibus primus relinqvitur ille, qvi Concilii Nicæni 1. est. At hic seculo demum qvarto conditus nihil sancit de Ordinatione superiorum seculorum. Fac igitur, Ordinationem per Presbyteros factam, irritam declaratam in Concilio Nicæno esse; nunqvam tamen obtinebis, ordinationem ejusmodi semper & ubiqve irritam fuisse habitam: deficit enim ejusmodi decretum ante Concilii Nicæni tempus.

II.

XXVII. Deinde afferunt *Concilii Ancyrani* Can. XIII. cujus verba supra §. IV. relata. Resp. Sed nec hoc efficitur, qvod in controversiâ est. Nam 1. Canone isto Presbyteris non simpliciter interdicitur Ordinatio, sed per se tantùm, non consentiente Episcopo, ordinare alios vetantur, sive *ubiqve*, ut qvidam codices habent, sive in alienâ tantùm parœcia. Hoc autem in controversiam jam non venit. vide §. 4. 2. Et licet fingeremus, Presbyteris hîc prorsus interdictâ ordinationem esse, nondum tamē consequens est, fuisse etiam irritam, qvæcunq; per eos fieret ordinatio. Neq; enim omne illicitum irritum qvoq; est. vide §. 6. 3. Immò fac. XVIII. etiam iilis Patribus Ancyræ congregatis irritā visam ejusmodi ordinationem. Obj. II. Resp.

nem esse, non tamen cæteræ continuo diœceses, qvæ ad ipsos non pertinebant, eorũ tenebantur legib⁹ vel eorum decretis obedire cogebãtur. 4. Et licet vel maximè largiremur, cæteras qvoq; Diœceses Ancyranorũ Patrum auctoritatem secutas, ne sic tamen id efficitur, qvod in controversiâ est, Ordinationem nempe, per Presbyteros factam, semper & ubiq; jure humano fuisse irritam. Nam Concilium Ancyranum seculo demum IV. habitum, nihil sanxit de Ordinationibus antè factis.

Obj. III.

III.

XXVIII. præterea urgent *Concilii Antiocheni III.* ex computatione Bellarmini, aliis II. canonem IX. & X. & Nonus qvidem inter alia ita habet: *Unusquisq; Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, qvæ sub ejus est potestate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet & singula suo judicio comprehendat &c.* Canonis X. verba allata supra §. IV. præcipua sunt, *ne Chorepiscopus audeat Presbyterum aut Diaconum ordinare sine Episcopo civitatis, cui ipse & regio subjiciatur.*

Resp.

Resp. 1. Verùm hi qvoqve Canones à nostrâ controversiâ alieni sunt. Nam efficiunt tantùm, α) Episcopum legitimum esse Ordinationis ministrum, & β) Ordinationem Presbyterorum ac Diaconorum factam per Chorepiscopum, cui Episcopus ejus ordinandi potestatem non dederit, esse illicitam ex præscripto illorum Canonum, qvod utrumqve supra removimus. Illud §. II. hoc §. V. Irritam autem fuisse visam Patribus Antiochenis Ordinationem Presbyterorum per Chorepiscopos vel Presbyteros factam, neutro canone effici potest. Immò potius ratam videntur habuisse ejusmodi ordinationem, propterea, qvod clausulam, qvâ illa rescindatur, non adjecerunt; qvalem tamen subjunxere

Canoni

Canoni XXII, qvo Ordinationem ab Episcopo in aliená Paroeciâ, non consentiente ejus Episcopo, factam, ἄκυρον ἔνιοι *irritam esse* censent. Judex enim, qvi in eâdem sententiâ diversa sancit & prohibet, qvædam cum clausulâ, qvâ rescindatur id, qvod secus fit, qvædam sine ejusmodi clausulâ, non videtur voluisse id irritum declarare, cui clausulam talem non apposuit. 2. Deinde verò qvæcunqve tandem hujus Concilii hâc de re sententia fuerit, parum tamen ejus apud Orthodoxos valet auctoritas. qvippe Arianum fuit, & S. Athanasium, Orthodoxum Alexandrinensium Episcopum, loco deturbavit, eoqve ab ipsis Pontificiis repositum in ea concilia est, qvæ prorsus sunt à Pontifice Romano rejecta, auctore *Bellarmino* lib. I. de Concil. c. VI. §. Primum, f. 22. vide Dist. XVII. c. Regula 2.

IV. Obj. IV.

XXIX. Citant etiam *Concilii Sardicensis* c. 6. verba hæc sunt: *Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo aut in modicâ civitate, cui sufficit unus Presbyter, quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & autoritas. Non debent illic ex aliâ provinciâ invitati facere Episcopum: nisi aut in his civitatibus, qvæ Episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa Civitas, quæ meretur habere Episcopum. Si hoc omnibus placet. Synodus respondit, placet.* Dionys. Exig. Cod. Can. Eccl. Tom. I. Bibl. Justell. f. 138. Tom. II. Concil. Illustr. Period. II. Peric. IV. Diatr. 66. p. 118. Resp. Verùm hîc tantùm sancitur, *ubi* Episcopus constitui debeat; non autem, *quis* vel eum vel Presbyterum constituere debeat. Qvæ verò bone Deus! consequentia: Episcopus non est in omnibus locis promiscuè ordinandus; Ergò ordinatio per Presbyterum facta jure humano semper & ubiqve irrita. Judicet, cui sanitas est. Resp.

Nec

V.

Obj. V. XXX. Mec minus provocant ad *Concilii Constantinopolitani I.* Oecumen. can. IV. Verba ita habent, si Latinè vertas: *De Maximo Cynico & ejus inordinatâ constitutione, quæ Gonstantinopoli facta est, placuit, Maximum neque Episcopum fuisse aut esse, nec qvi ab eo ordinati sunt in quocunque gradu cleri, omnibus iis, quæ ab eo facta sunt, infirmatis.* Hic ajunt Synodum Ordinatos à Maximo de dignitatis gradu dejecisse, qvia non Episcopum illum sed Presbyterum adeoqve nulla ordinandi potestate præditum fuisse existimassent. Resp. Verùm 1. nondum planum factum, Maximum fuisse Presbyterum, anteqvam Episcopus fieret. Neqve enim à Gregorio, neqve ab alio ullo Presbyter ordinatus fuerat, nec ullo tempore cum canonicè ordinatis Presbyteris sederat, sed violento saltu per Diaconatus & Presbyterii gradus provectus, laicus ad Pontificatum pervenerat. Ægyptii enim eum ordinaturi, non ut Presbyterum in cathedrâ collocabant, sed primò κεῖρε πρόσωπον εἰς καθέδραν τὸν κύνα, *canem tondere aggrediebantur, ut cathedram occuparet*, teste *Gregor. Nazianz.* Carm. de vitâ suâ. *Canis* ergo illo tempore erat, & intonsus, adeoq; nullo in cleri gradu constitutus: per primã enim tonsuram cleri confertur ordo, cap. Cum contingat, de ætat. & qvalit. & ord. præfic. 2 Sed fac fuisse Presbyterum; Presbyter tamen esse desiit, vi canonis Ancyrani XVIII, ap. *Justell.* Cod. Can. Eccl. Un. T. 1. f. 38. qvoniam seditionem concitarat adversus Episcopum suum, Gregorium Nazianzenum, teste eodem l. c. Immò 3. finge etiam, Presbyterum mansisse, nunqvam tamen efficies, Ordinatos à Maximo gradu suo deturbatos esse ptopterea, qvod ordinati fuerint à Presbytero; ac non multò potius, qvod ordinari se passi sint â seditioso

Resp.

tioso, adeoqve participes illius sceleris se fecerint. qvæ omninò vera causa est; licet non sola. Nam Maximus schismatis, Simoniæ & ambitus reus, tum laicus adhuc, nocte & in sordido Choraulæ domicilio ordinabatur Episcopus ab Episcopis aliis extraneis, præsente intra urbem & repugnante legitimo Episcopo, inscio præterea clero & plebe. qvibus omnibus fidem facit ipse *Gregorius Nazianzen.* l. c. Cum igitur divina & humana universa ferè jura in Maximi ordinatione conculcata fuerint, qvid mirum, si nec ipsa, nec qvæ eam secuta sunt, consistere potuerint? vide omninò *Nazianzenum* l. c. & *Blondellum* Apol. pro Hieron. Sect. III. p. 330. seqq. 4. Atqve hæc cum ita sint, nemo non intelligit, nullam esse consequentiam, qvâ id, qvod in qvæstione est, ex laudato canone effici adversarii existimant. Non enim sequitur: Ordinatio à Maximo facta, à Concilio Constantinop. I. Oecum. irrita est declarata. Ergo ordinatio à Presbytero facta ab eodem est irrita habita. Rationes, cur hoc non sequatur, jam allatæ sunt. 5. Qvid multa? Ipsi adversarii, *Binius* not. ad hunc canonem, & *Baronius* Cardinal. ad A. C. 379. & 380 multi sunt in eo ut obtineant, hunc *canonem esse suppositititium & à Romanâ Ecclesiâ nunquam acceptum.* Qvo ergo jure nos cogere volunt ad accipiendum id, qvod ipsi rejiciunt?

VI. Obj. VI

XXXI. Subjiciunt *Concilii Arelatens.* can. XIX. qvo sancitur, *ut Presbyteri sine conscientiâ Episcoporum nihil faciant.* Resp. Sed hic canon iterum nihil facit ad rem. Nam 1. argumento tantùm est, Presbyteris, vi illius canonis, non licuisse inscio Episcopo ordinare, qvod supra ab hac controversia jam removimus §. V. 2. Deinde etsi ex mente Resp.

Arelatensium Patrum ordinatio à Presbytero, inscio Episcopo facta, illicita fuit, tamen eandem irritam qvoqve esse debuisse, ex verbis illorum effici non potest. Hoc autem illud est, qvod jam in controversiam venit.

Obj. VII.

VII.

XXXII. Addunt *Concilii Carthaginensis* IV, rectiùs V. can. III. Verba subjecimus supra §. III.

Resp.

Resp. Ex his verò 1. tantùm efficitur, Episcopum legitimum ordinationis esse ministrum, de qvo jam non disceptatur. vide §. II. At eundem esse solum, in eo non dicitur. qvin disertè Presbyteri qvoqve unà cum Episcopo manus ordinando imponere jubentur, adeoqve in societatem ordinantium adsciscuntur. Nam ex mente Pontificiorum manuum impositio ad substantiam (ut loqvuntur) ordinationis pertinet, & confert Ordinando potestatem condonandi peccata. vide *Bellarmin.* de Sacr. Ordin. lib I. c. IX. f. 1223. Qvi verò facit id, qvod ad substantiam ordinationis pertinet, & per illud ipsum confert ordinando potestatem remittendi peccata is certè pro ministro Ordinationis non potest non haberi. 2. Qvod si reliqvos qvoqve ejusdem Concilii canones addere juvat, amplius qvid adversariis largiri possumus; nempe Episcopum à Concilio Carthaginensi constitutum in posterum Ordinationis ministrum ordinarium esse. At verò ordinationes à Presbyteris per IV. secula ante illud Concilium Carthag. factas, vel in posterum ab iis deficiente vel absente Episcopo peragendas, irritas esse, nec dixerunt illius Concilii Patres, nec dixisse unqvam convicti sunt. ac proinde iterum non probatur id, qvod in qvæstione est. 3. Deniqve si vel maximè id etiam dixisse fingeremus, non tamen video, qvo jure nos horum Patrum decretis adstringere

gere possint adversarii, cum ipsi se iis non patiantur adstringi. Neqve enim tales Episcopos ordinant & habent, qvales illi habendos & ordinandos esse censent. cap. I, XV. XX. Si igitur Pontificiis licet alios habere, ordinareq; Episcopos, qvàm Concilium hoc præscribit: nobis etiam eodem jure licebit alios habere Ordinatores, qvàm idem Concilium præscribit.

VIII.

XXXIII. Inprimis verò superbiunt *Concilii Hispalensis* II. Canon. V. Verba hæc sunt: *Quinto judicio ad agnitionem nostri examinis Agabrensis Diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse, qui licet propter tantam præsumtionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione præventus, sed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accusari non potest, hi, qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu sacerdotalis vel Levitici ordinis, qvem perversè adepti sunt, depositi, à qvo judicio abjiciantur. Tales enim meritò judicati sunt removendi, qui prave inventi sunt constituti.* Tom. II. Concil. edit. Colon. A. 1538. f. 97. Resp. I. Verùm hoc decreto efficitur tantùm, ordinationem per Presbyteros factam post aliqvot demum à nato CHRISTO secula aliqvibus Ecclesiis visam fuisse irritam. qvod qvidem jam in qvæstione non esse, supra docuimus §. V. VI. 2. Deinde decretum illud valdè est iniqvum cùm in Egabrensium Episcopum, tum in as-

Obj. VIII

Resp.

in assumtum ab eo Presbyterum. Uterqve enim qvicqvid fecerat, etiamsi exempla & suffragia majorum defuissent (at contrarium supra §. IV. demonstratum); manifesta tamen excusare debuisset necessitas. vide, qvæ pluribus de iniqvitate ejus disputavit *Blondellus* l. c. p. 171. seqq. 3. Deniqve concilium istud non est tantæ autoritatis, ut nefas sit erroris illud arguere, qvippe paucorum tantùm fuit Episcoporum, cujusmodi concilia, inprimis in facti qvæstionibus, etiamsi à Papa sint confirmata, errare posse & errasse, ne ipsi qvidem negare omnino audent adversarii. vide *Bellarmin.* Tom. I. part. II. de Concil. Auctor. lib. II. c. V. §. Altera propositio f. 84. & c. VII. §. Respondeo primo f. 88. & §. Addunt qvidam f. 89. & cap. VIII. §. decimo qvinto f. 108.

Obj. IX.

IX.

XXXIV. A Conciliis ad *Patres* transeunt laudantes primo *Damasi* Papæ epist. 3. adv. Chorepiscopos, ubi asserit, eis *non licere sacerdotes consecrare, irritumqve esse, quicquid fecerint.*

Resp.

Resp. 1. Hìc verò velim adversarii prius diluant ea, qvibus *Blondellus* in Pseudo-Isidoro, cùm in Prolegomenis, tum in censurâ epist. V. Damasi, planum fecit, hanc epistolam non esse Damasi, qvid enim attinet in re tanti momenti dubiis & falsis niti auctoritatibus? 2. Deinde verò cuivis sano judicandum relinqvo, an isto testimonio id efficiatur, qvod in qvæstione esse supra diximus §. VIII. 3. Damaso deniqve illi opponimus *Nicolaum I.* qvi in epist. ad Rudolphum Bituric. c. I. contrarium docet verbis seqq: *A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas: quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant: nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes vel*

vel iteratas consecrationes: ad formam enim 70. Chorepiscopi facti sunt; quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia? Tom. XXII. Concil. edit. Paris. f. 415. X.

XXXV. Deinde opponere nobis identidem solent *Epiphanium* hæres. LXX. f. 296. edit. Latin. Basil. A 1578. qui scripsit, *Episcoporum ordinem Patres generare; Presbyterorum autem Patres Ecclesiæ generare non posse.* Resp. 1. At nec hic attingitur id, quod in controversiâ est. Fac enim, Epiphanio suâ ætate ordinationem per Presbyteros factam visam fuisse irritam, non omnibus statim, ubique & semper eadem visa est irrita? Ne ipse quidem Epiphanius hoc dixerit. Is enim Aërio non negat, *Episcopum initio accepisse donum per impositionem manum Presbyterii*, & postea subjungit, *Apostolos non statim potuisse omnia constituere Ecclesiamq; accepisse complementa dispensationis*, ac proinde agnoscere videtur, Presbyteros initiò, antequam constitutus ubique ordo Ecclesiæ esset, ordinationis ministerio functos esse. 2. Sed finge, verba ejus simpliciter intelligenda: ita verò Epiphanium refutaverit *Hieronymus*, qui Alexandrinos Presbyteros per annos ferè 200 non qualemcunque, sed Patrum omnium in Ægyptiacâ diœcesi Patrem genuisse, testatur epist. ad Evagr. 3. Tandem si *Bellarmino* licet rejicere Epiphanii sententiam, quâ infirmare ille voluerat Aërii rationes, l. I de Cler. c XV §. Epiphan. f. 339, nobis etiam licebit rejicere ejusdem rationem, quam ad infirmandam Aërii sententiam idem ille attulerat. Obj. X. Resp.

XI.

XXXVI. Subjungunt *Chrysostomum* homil XI. in I. Tim. III. f. 1574. cujus verba è Græcis Latina facta habent ita: *Omisso Presbyterorũ ordine ad Diaconos transilit. cur id verò? quia* NON MULTVM *interest. Ipsi enim ad doctrinã καὶ προεδρίαν τῆς ἐκκλησίας Ecclesiæq; præfecturam ordinati sunt, quæque de Episcopis dixit, eadem Presbyteris coaptat.* Τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τῶν πρεσβυτέρων, *SOLA enim* ORDINATIONE *supra eos ascenderunt, & HOC SOLO Presbyteris superiores esse videntur.* & Homil. V. in c. IV. f. 1587. ubi verbis Apostoli, *cum impositione manuum Presbyterii*, hanc subjicit explicationem: *Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur. neque enim profecto Presbyteri eum Episcopum ordinarant.* Resp. Verùm neutrum testimonium huic loco idoneum est. 1. Fac enim, Chrysostomi ætate in Ecclesiis, quarum mores Obj. XI. Resp.

ipsi cogniti fuerunt, Episcopos solâ ordinatione Presbyteris superiores fuisse, qvod priori asseritur testimonio; ergonè ordinatio per Presbyteros facta illâ ætate *ubiq;* fuit illicita? ergone *semper* illicita fuit? ergonè in iis ipsis ecclesiis, ubi illicita habita, *irrita* qvoq; fuit? ergonè *semper & ubiq; irrita* fuit? Nihil tale Chrysostomi continent verba: nec proinde huc pertinent. Deinde 2.) testimonium hoc magis nocet, qvàm prodest adversariis. Hic enim Episcopi & Presbyteri pares initio fuisse dicuntur, Presbyteris omnibus ad προεδρίαν καὶ διδασκαλίαν i.e. *ad præfecturam & doctrinam* ex æqvo admissis: additur, nec Chrysostomi ætate qvicqvam inter eos interfuisse, nisi *solam ordinationē*. At adversarii non tantùm pares illos προεδρίᾳ sive præfecturâ fuisse negant, sed præterea etiam jura confirmandi, sacras virgines velandi, consecrandi templa, altaria, & id genus alia solis vendicant Episcopis Presbyterisq; negant. 3. Qvod ad alterū testimonium attinet, dicit qvidem Chrysostomus, Presbyteros nō ordinasse Timotheum Episcopum; at nec postea qvenqvam vel Episcopum vel Presbyterum ordinasse, nec factam ab illis ordinationem unqvam fuisse ratam, non dicit. atq; ita hic qvoq; locus ad rem nihil facit. Cæterum pio lectori considerandum propono, utrum plus Spiritui S. per Paulum testificanti, Timotheum per manus Presbyterorum ordinatum esse, an Chrysostomo Presbyteros ordinasse Timotheū neganti, tribuendum putet? Chrysostomus certè multò recentior est, qvàm ut de re tam antiqvâ testimonium fide dignum perhibere possit; ut de Pauli ab erroribus immunitate nunc nihil dicam.

XII.

Obj. XII. XXXVII. Cum Chrysostomo conjungunt *Theophylactum* in 1. Tim. III. cujus verba eadem ferè sunt, qvæ Chrysostomi in h. l. & in 1. Tim. IV. ubi *Presbyterium* interpretatur *Episcopos:* miratur deinde, *qvantum valeant Pontificum impositæ manus.* Resp. At cum Theophylactus idem sentiat ac ferè dicat, qvod Chrysostomus, idem etiam sibi responsum habeat, qvod ille. Hoc tantùm addimus, nos non negare, Episcoporum manus multū valere in ordinandis Presbyteris, qvod Theophylactus asserit. an autem solæ valeant, ac Presbyterorum non item, id in controversia est. Theophylactus nec negat nec affirmat verbis istis. vide §. II.

Resp.

XIII.

Obj. XIII. XXXVIII. Ex *Theodorito* illud afferunt 1. Tim. III. p. 512 ubi ait, *Episcopos majorem dignitatem esse assecutos.* & in c. IV. p. 520. ubi *Presbyterii* voce

à Paulo

à Paulo significari eos scribit, qvi *Apostolicam gratiam acceperint.* Resp. Verùm qvâ ratione hinc extorqveri possit illa conclusio, qvâ ordinatio per Presbyterum facta vel semper & ubiq;, vel interdũ saltẽ & alicubi irrita fuisse dicitur, eqvidẽ me non posse capere fateor. Qvi plus intelligunt, promant subtilitatẽ istã. nec deerit responsio.

XIV. Obj. XV.

XXXIX. Freqventer qvoq; in ore habent *Augustinum* Brevic. Collat. cum Donatist. coll. 3. D. cap. 5. Tom. VII. f. 584. ubi Donatistas Catholicis objecisse commemorat, *qvod non exspectaverit Cæcilianus, ut princeps à principe ordinaretur, cùm aliud habeat Ecclesiæ Catholicæ consvetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis ordinent, sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliqvis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.* Resp. 1. Verùm hinc nihil alind seqvitur, nisi Episcopos ab Episcopis ordinatos ætate Augustini esse, qvod nunc in controversiâ non est. vide §. II. Qvod autem in controversiâ est, his verbis neqvaqvam efficitur, adeoq; & hæc aliena ab hoc loco sunt. 2. Alibi autem Augustinus potiùs contrarium docet, tantum abest, ut ordinationem à Presbyteris factam semper & ubiq; habitam fuisse irritam. existimarit. Qvum enim ad Hieronymum ep 19. T. II Op. f. 84. scribat, *Vsum Ecclesiæ illa honorum jam obtinuisse vocabula, secundum qvæ Episcopatus Presbyterio major sit*; non obscurè certè significavit, præstantiam illam Episcopalem non ex præcepto aliqvo divino, sed usu Ecclesiæ oriundam, nec usum hunc Ecclesiæ ab initio introductum, sed post Apostolorum ætatem *paulatim* invaluisse, *jamq;* (id est, exactis aliqvot seculis) *obtinuisse*. qvo posito, nemo non videt, qvid conseqvens sit, nempe excellentiam illam episcopalem, ex mente Augustini, non fuisse perpetuam, adeoqve nec ordinandi potestatem, qvâ antecellat Presbyteros, iis perpetuò propriam fuisse, nec ordinationem factam à Presbyteris omni tempore in ecclesiâ habitam fuisse illicitam aut irritam. Sed hæc aliàs pluribus. Resp.

XV. Obj. XV.

XL. Deniq; identidem urgent illud *Hieronymi* ex epist. ad Evagr. T. II. f. 329. *Qvid enim facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, qvod Presbyter non faciat?* Resp. Verùm nec hic locus efficit id, qvod debebat ex voluntate adversariorum. Nam 1. Hieronymus hîc Presbyterum qvidem suâ ætate ordinarium ministrũ ordinationis fuisse negat. Sed hinc nondum efficitur, ordinationem à Presbytero extra ordinem urgente necessitate factam, tum etiam habitam fuisse illicitam, vel qvod majus est, irritam, de qvo hîc præcipuè disceptatur. 2. Deinde de sui tantùm temporis consvetudine loqvitur. qvod indicant Præsentis temporis verba, de Præterito autem sollicitus non est, neqve enim qværit, qvid

unqvam

unqvam *fecerit* excepta ordinatione Episcopus, qvod Presbyter non fecerit. At qvi ætate Hieronymi obtinuit mos, non continuo omnib9 seculis obtinuit. Fac itaq;, Hieronymi tempore etiam irrita fuisse existimatã Presbyterorũ ordinationẽ, nondũ tamen vicisti, etiam ante tempora Hieronymi ejusmodi ordinationem semper & ubiq; irritam visam fuisse. adeoq; ne sic qvidẽ pervenitur ad id, qvod in qvæstione est. 3 Sed salva res est, Hieronymus totus noster est hoc ipso enim loco disertè docet id, qvod nos docemus, & jam docuimus. Primò tempore Apostolorum dicit, *eosdem fuisse Presbyteros quos Episcopos.* Si iidem; ergo potestate ordinandi non fuere diversi; nec minus Presbyterorum qvàm Episcoporum in ordinatione ministerium efficax & legitimum, ac proinde etiam ordinatio per Presbyteros non omni tempore irrita fuit. Deinde dicit, *postea* id est post Apostolorum ætatem *unum electum esse, qvi cæteris præponeretur*, idqve *in schismatis remedium factum esse.* Si post Apostolorum ætatem demum Episcopus major esse cœpit Presbyteris, antea certè major non fuit. adeoqve tam Presbyter qvam Episcopus ordinare alios potuit. qvod si enim non potuisset, hoc ipso minor Episcopo fuisset. Deniqve dicit, *Alexandriæ à Marco Evangelistâ, usqve ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteros semper unum ex se electum & in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominasse.* Habemus ergo Alexandrinos Presbyteros ordinationis ministros, eosqve tantisper legitimos, dum hanc illorum ordinationem veræ antiqvitati improbatam atqve irritam olim visam, demonstratum fuerit. qvod profecto nunqvam erit.

CONCLUSIO.

Ite nunc, qvicunqve dissidetis, & inauditum dicite, Presbyterum ordinare Episcopum! ite, & Presbyteris Evangelicis insultate! Eripuit noster Presbyter vestris jam Episcopis dignitatis ornamenta, eaq; ad se qvoqve pertinere ostendit invictis argumentis. Si viri estis, repetite, sed iis armis, qvibus ademta sunt, id est argumentis & rationibus; aut injurios vos in Presbyteros adhuc fuisse confitemini. Sed ut hoc desperare vestra me jubet pertinacia, ita vix ut illud sperem, caussæ vestræ facit ratio, qvæ, ut pessima qvæqve, silentio tegi mavult, qvam oratione defendi. Nos interim piæ antiqvitati plurimum nos debere confitemur, qvod hæc monumenta nobis reliqverit; DEO verò in immensum, qvi vires animi corporisq; concessit ad illa eruenda. Antiqvitati igitur suus stet honor,

DEO VERO IMMORTALI GLORIA SEMPITERNA!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0064
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0068
DFG

gere posſint adverſarii, cum ipſi ſe iis nor dſtrin-
gi. Neqve enim tales Episcopos ordinant & les illi
habendos & ordinandos eſſe cenſent. cap igitur
Pontificiis licet alios habere, ordinare ,qvàm
Concilium hoc præſcribit: nobis etiam licebit
alios habere Ordinatores, qvàm idem Co ſcribit.

VIII.

XXXIII. Inprimis verò ſuperbi *Hiſpa-* Obj. VIII
lenſis ll. Canon. V. Verba hæc ſunt: *Qu d agni-*
tionem noſtri examinis Agabrenſis Diacon ctum,
eſt, de quibusdam ipſius Eccleſiæ clericis, q nus ad
Presbyterium, duo ad Levitarum miniſteri ur, Epi-
ſcopus eorum oculorum dolore detentus, fe ſuam,
ſuper eos tantùm poſuiſſe, & Presbyter quid a eccle-
ſaſticum ordinem benedictionem dediſſe, q er tan-
tam præſumtionis audaciam poterat accuſa ræſenti
damnari, ſi adhuc in corpore poſitus non j vocа-
tione præventus, ſed quia jam ille examini lus, hu-
mano judicio accuſari non poteſt, hi, qui ſu eo non
conſecrationis titulum, ſed ignominiæ elogiu nt, ne
ſibi licentiam talis ultra uſurpatio faciat, d tà gra-
du ſacerdotalis vel Levitici ordinis, qvem p ti ſunt,
depoſiti, æqvo judicio abjiciantur. Tales enim ati ſunt
removendi, qui prave inventi ſunt conſtitui . Con-
cil. edit. Colon. A. 1538. f. 97. Reſp. I. V ecreto Reſp.
efficitur tantùm, ordinationem per Presb m poſt
aliqvot demum à nato CHRISTO ſecula ccleſiis
viſam fuiſſe irritam. qvod qvidem jan ne non
eſſe, ſupra docuimus §. V. VI. 2. Dein n illud
valdè eſt iniqvum cùm in Egabrenſium , tum,
in as-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730058492/phys_0069
DFG